3 1761 06349290 4

# CARMINA

MEDII AEVI MAXIMAM PARTEM

# INEDITA

EX BIBLIOTHECIS HELVETICIS COLLECTA

EDIDIT

**HERMANNVS HAGENVS.**

BERNAE.

APVD GEORGIVM FROBENIVM ET SOC.

MDCCCLXXVII.

# CARMINA

## MEDII AEVI MAXIMAM PARTEM

# INEDITA

EX BIBLIOTHECIS HELVETICIS COLLECTA

EDIDIT

**HERMANNVS HAGENVS.**

BERNAE.

APVD GEORGIVM FROBENIVM ET SOC.

MDCCCLXXVII.

LIBRARY
OCT 13 1972
UNIVERSITY OF TORONTO

BERNAE: TYPIS WYSSIANIS.

PA
8122
H3
1877

GVILELMO · WATTENBACHIO ·

BEROLINENSI ·

PALAEOGRAPHICORVM · PRINCIPI ·

MEDII · AEVI · PERSCRVTATORI ·

ACERRIMO ·

S ·

# PRAEFATIO.

Cum Georgius Frobenius, bibliopola honestissimus, clarissimi nominis Basileensis resuscitator, diuturna idem mecum amicitia coniunctus, me admonuisset, ut ex copiis meis librorum manuscriptorum beneficio constipatis promerem aliquid, non absonum fore a doctis huius aevi studiis ratus sum, si medii aevi carmina ex bibliothecis manuscriptis Helveticis, Bernensi inprimis, tum Einsidlensi, Genevensi, aliis per varia itinerum discrimina sedulo congesta et partim a viris doctis sive historicis sive qui proprie vocantur philologis dudum efflagitata ex parte saltem publici iuris fecissem. Quo in genere bibliotheca Bongarsiana summopere me adiutum esse, per se liquet: nam per decem istos annos, quos conficiendo novo post Sinnerum codicum Bernensium catalogo insumpsi, miram quantam carminum eius modi farraginem deprehenderam atque illis describendis futurae editionis fundamenta ieceram.

Quae nunc ut non omnia, ita lectissima doctorum virorum manibus ita trado, ut non solum philologos meos medii aevi hoc ipso tempore maximo iure atque summo cum litterarum antiquarum adiumento magis, quam

antea usu venerat, amantes respiciam, sed et historicorum aciem a Waitziis praesertim atque Wattenbachiis optimis fontium indagandorum artibus instructam spectem nec non Romanicarum quae vocantur linguarum atque ipsos vetustioris Germanorum sermonis perscrutatores huius libri lectores quam maxime strenuos animo mihi fingam. Quibus viris aliorum quoque accessuros studiorum arbitros facile mihi persuasi. Nam et viros mathematicae disciplinae seu naturalium quaestionum peritos hoc, quo vivimus, tempore historiae suorum studiorum reconditiori indagandae, quae in eius, quod tractamus, aevi scriptis non minime nititur, summam operam navasse scibam et ipsos sacrorum librorum explanatores sermoni qui dicitur plebeio seu vulgari, qui maxime aevo medio conspicitur, perquirendo et ad certam regularum normam redigendo (Hermannum Roenschium nostrum hic ante ceteros nominare iuvat) studere non eram nescius.

Ceterum et nostri ordinis, qui est philologorum proprie dictorum, homines iam viginti fere ex annis praeclare viderunt, non posse genii qui dicitur antiqui naturam recte ab omni parte perspici, nisi, qua esset inde a prisco tempore via ingressus atque ad medii aevi tempora fingenda et formanda sese applicuisset, accurate esset indagatum. Ac maxime quidem hac in sententia defendenda nuper meruit Gellii editor doctissimus Martinus Hertzius, qui paucis abhinc annis Danicae insolentiae aculeos vi germana nullo obloquente retudit, in scriptione sua academica aestate anni MDCCCLXXVI de medii aevi studiis Horatianis Vratislaviae edita. In qua causa si mei quoque nominis quasi meriti mentionem fecit, benignius illum quidem

iudicasse certum est: sed hac ipsa huius libri editione nonnihil me ad eam quaestionem promovendam materie saltem congesta adtribuisse haud scio an minus modeste mihi videar persuadere. Nam eam a primis studiorum meorum incrementis, quippe quae ad codices varii argumenti perscrutandos sese direxissent, rationem mihi finxeram, quam maxime errare illos, qui antiquitatis studia certis ipsorum temporum antiquorum finibus circumscribenda esse crederent: est enim in hoc potius praeclara antiqui genii vis posita, quod non ad certos annos historiae procedentis mole iam remotos atque (id quod Dii boni averruncent!) fere obrutos, sed ad omne aevum atque praecipue nostrum formandum atque emendandum pertinet. Quod cum iam dudum esset perspectum, id minus curavere viri docti, ut eruerent, qua potissimum via haec studia ad nos pervenissent. Atque hoc illi quidem suo fortasse iure: fingebant enim sibi secundum rationem a maioribus acceptam medii aevi homines, ineptos sane haud raro antiqui genii interpretes, profunda omnino rerum inscitia sub mersosomnique propriae doctrinae atque artis genere plane destitutos. Qua de re hodie longe melius iudicatur: nam et artium descriptores, ut Springeri, Rahnii, Ilgii, ostenderunt, medii aevi artifices artis cum antiquitate vinculis conexos esse nec historiae ad humani generis culturam pertinentis studiosi aliter senserunt.

Quam in partem philologos quoque concessisse cui mirum videatur, quippe quos cum quovis fatuae traditionis genere acerrime pugnare quam maxime sit consentaneum? Ceterum tota illa nostrorum, quae hic publici iuris facimus, carminum series ex codice Bernensi

358 s. X. petita (nr. XII—XIX, p. 12—41), ni egregie fallor, non medii aevi, sed, quamvis colore Christiano tincta, exeuntis potius aetatis Romanae esse putanda est. Sed non opus, credo, scientibus haec fusius exponere, quia de earum quaestionum iure minime dubitatur. Itaque ad ipsa, quae hoc volumine inclusi, carmina, prout opus esse videbitur, enarranda pergam.

Iam quia inedita maximam partem in hoc libro ferri carmina ipse titulus, quem inscripsi, ostendit. primo de iis versibus dicendum, quos, quamquam iam erant editi, tamen ineditorum numero longe maximo inserui. Erant enim ista fere ita publici iuris facta, ut a paucis cognosci possent, seu catalogis privatis inclusa seu sub magna Actorum philologicorum mole paene abscondita, quae (sunt sane perpauca) occasione data in pleniorem lucem protrahi non est visum abs re alienum. Sunt praeterea, praesertim codicis Bern. 455 praestantissimi saec. X carmina aliquot certis nominibus inscripta, quae ideo vel ante edita recepi, ne cursum ab ipso eius codicis compositore observatum temere interrumperem. Nam est, quando id maxime e re sit, ut sciatur, qua societate comitante carmina quaeque ad posteros pervenerint. Porro nonullos codicis Bernensis 455 hymnos, quos iam in breviario Romano vel apud Moneum inveniri per F. Fialam Salodurensem, historicorum Salodurensium praesulem, edoctus infra demonstrabo, ob id repetivi, quia eodem viro doctissimo huiusque litterarum generis peritissimo teste breviarium Romanum a tertio demum decimo saeculo vel adeo quarto institutum est, ut, siquid inde iam in codice trecentis annis vetustiore deprehendatur, eius libri cognitionem permagni momenti esse nemo non

videat. Alia tantopere a vulgata, quam dicunt, breviarii forma recedebant, ut pro novis paene haberi iuste possent.

Sed hac instaurandi licentia quam rarissime usus sum, ut non nisi septimam vel adeo octavam fere totius voluminis partem denuo porgi, cetera omnia nunc primum ex tenebroso tinearum secessu sub Iovem protrahi tu, lector, secure scias. Quo ipso in numero, quem anecdoton dixi, si qua inveniantur, quae iam luce donata sunt, benigne ignoscet, quisquis eiusmodi quaestionum spineta angustiasque pernovit. Iam vero ad singula perlustranda procedam ita, ut, quae ad codicum ipsorum varia argumenta pertinent, ne acta agam, lectores non ex hoc libro, sed ex codicum Bernensium catalogo meo a. MDCCCLXXV Bernae edito petere velim.

I—VIII. Haec carmina (eadem manu scripta) in Tadonis episcopi praesertim honorem composita non ab ipso illo, qui librum exaravit characteribus Iricis et scripturae discrepantiam superposuit, et condita esse, demonstrat lectionum varietas haud raro ipsi textui sermone continuo inserta, cf. VII, 29; VIII, 1. Frustula aliquot speciminis causa F. Hauthalius in ea scholiorum Horatianorum parte, qua de codicibus Horatianis agitur, neque ea satis accurate edidit.

X. Primus versus deesse videtur, quia is, cui id carmen dicatum est, v. 2 non Elfred, quod ratione acrostichica ostenditur, sed Aelfred dicitur, ut in carmine praecedenti eadem manu scripto.

XII—XIX eadem manu expressa. Post nr. XIX, iquo loco codex hodie deficit, ceteras quoque artes lberales descriptas fuisse perquam verisimile est.

Carmina XX—LXV, quae in libris scriptura continua exarata sunt, in versus suos coegi.

XX Fiala Salodurensi docente extat apud Moneum I, 49, cum titulo: *Per Adventum ad Tertiam.* Varietas lectionis haec est: v. 5 *Qui condolens hominibus Mortis subiectis legibus Tactus homo restituis Vitam in tuo sanguine*; v. 10 *uti* (pro *tuti*), recte; v. 13—16: *Cuius forti potentiae Genu flectatur omnium Coelestium terrestrium Nec non et infernalium*; v. 17—20 Moneus spurios iudicat; v. 27: *sancto simul paraclito.* V. 5—8 Moneus non nisi in codicibus s. XIV—XV inveniri ait.

XXII Sedulii Fiala auctore extat in breviario, cum titulo: *Dominica infra Octavam Nativitatis ad Laudes.* Varietas est haec: v. 9 *castae parentis*; v 16 *concepit aevo filium*; v. 18 *enititur*; v. 19. 20 *Quem ventre matris gestiens Baptista clausum senserat*; v. 23 *Et lacte modico pastus est*; v. 26 *Et angeli canunt deo.*

XXIII extat in breviario, ubi titulus: *Epiphania ad Vesperam*; v. 1. 2: *Crudelis Herodes Deum Regem venire quid times*; v. 5 quam] *qua*; v. 9 *lavacra*; v. 14 *aquae rubescunt.*

XXVII extat apud Moneum I, 217: *Dom. in Oct. Paschae*; v. 2 *et stolis*; v. 5 *cuius corpus sanctissimum*; v. 9 *vespero*; v. 17 *vere*; v. 20 *Redit ad vitae praemia*; v. 28 *defende.*

XXIX extat apud Moneum I, 228: *In vigilia Ascensionis ad Vesperas*; v. 7 *est* om.; v. 17—28 = Monei I, 229: *ad Laudes*; v. 18 *praemium*; v. 25 *cum repente.*

XXX apud Moneum III, 90. Primam quoque et quintam stropham ad secundae, tertiae, quartae, sextae formam revocare debui ita:

*Aurea luce et decore roseo*

*Lux lucis omne perfudisti saeculum* etc.

v. 5 Moneus: *hac sacra die*, recte; v. 23 *geminae*.

XXXI. Haec in breviario teste Fiala sic leguntur: *De confessore non pontifice ad Vesperas: Iste confessor, domini colentes Quem pie laudant populi per orbem, Hac die laetus meruit beatas Scandere sedes. Qui pius prudens humilis pudicus, Sobrius duxit sine labe vitam, Donec humanos animauit aurae Spiritus artus. Cuius ob praestans meritum frequenter, Aegra quae passim iacuere membra, Viribus morbi domitis saluti Restituuntur. Noster hinc illi chorus obsequentem Concinit laudem celebresque palmas, Ut piis eius precibus iuvemur Omne per aevum. Sit salus illi decus atque virtus, Qui super caeli solio coruscans Totius mundi seriem gubernat Trinus et unus.*

XXXII. Apud Danielem fertur I, 252.

XXXIII. Haec in breviario Fiala docente ita habent: *Ad Vesperas;* v. 3 *Virginis partos canimus decora Morte triumphos;* v. 5 *Haec enim palmae duplicis beata;* v. 7 *domuit cruentum Caede tyrannum;* v. 9 *Unde;* v. 10 *Mille poenarum genera expavescens Sanguine effuso meruit serenum Scandere caelum;* v. 13 seq.: *Huius oratu deus alme nobis Debitas poenas scelerum remitte, Ut tibi puro resonemus almum Pectore carmen;* v. 17 *sit decus patri;* v. 18 *utriusque virtus Spiritus semper, deus unus omni Temporis aevo.*

XXXV apud Moneum III, 88: v. 7 *Deum secutos praesules;* v. 10 *gratia;* v. 13 *fastigio;* v. 18 *et eleuatus;*

post v. 20 duae strophae apud Moneum insuper leguntur; v. 24 *Sedes magistri gentium.*

XXXVII Ambrosii teste Fiala; apud Moneum III, 143 (*de Martyribus:* nostri carminis str. 1. 3. 4. 5. 8) et III, 57 (*de Apostolis:* nostri carminis str. 2. 6. 7): v. 3 *laudes canentes debitas Laetis;* v. 28 *gaudiis.*

XXXVIII extat apud Moneum III, 143, ubi stropha quarta legitur.

XXXIX in breviario, praemisso titulo: *Ad Laudes;* v. 1 *Invicte martyr qui unicum Patris secutus filium Victis triumphas hostibus;* v. 7 *Arcens mali;* v. 8 *Vitae repellens;* v. 11 *Nos solve solve vinculis Dono superni numinis.*

XL extat in breviario (apud Moneum III, 150) praemisso titulo: *ad Vesperas;* v. 2 seq.: *Sors et corona praemium Laudes canentes martyris Absolve nexu criminis:* v. 13 *Hinc nos precantes supplices.*

XLI in breviario teste Fiala, ubi praescriptum: *De conf. Pontifice ad Laudes;* v. 4 *Indulgeas precantibus;* v. 5 *Tui sacri qua nominis;* v. 7 *Huius celebrat;* v. 9 *Qui rite mundi;* v. 11 *Aeternitatis praemio Potitur inter angelos;* v. 13 *Huius benignus annue;* v. 15 *Huius precatu servulis;* v. 17 seq.: *Sit Christe rex piissime Tibi patrique gloria Cum spiritu paraclito Nunc et per omne saeculum.*

XLII apud Moneum III, 330, apud quem quinque strophae adduntur: agitur de Sancto Gregorio; v. 5 *animaeque nigrae;* v. 17 *ora.*

XLIII in breviario Fiala teste *(de pluribus martyribus)*, sed altera stropha sic habet: *Hi sunt quos fatue mundus abhorruit Hunc fructu vacuum floribus aridum Contempsere tui nominis asseclae Iesu rex*

*bone caelitum;* v. 9 *Furias atque minas truces:* v. 11 *his cessit;* v. 12 *Nec carpsit;* v. 15 *Sed corde impavido;* v. 19 *sanguine fulgidis Cingunt tempora laureis;* v. 21 *te summa o deitas;* v. 22 *ut culpas abigas;* v. 23 *Des pacem famulis ut tibi gloriam Annorum in seriem canant.*

XLIV in breviario praemisso titulo: *Ad Laudes;* v. 2 *concipit;* v. 5 *Qui pergis;* v. 8 *Sponsus decorus;* v. 9 *Quocumque tendis;* v. 13 *Te deprecamur largius Nostris ut addas sensibus.*

XLV apud Moneum I, 440 *(hymnus de Angelis):* v. 5 *alternantes;* v. 9 *primatem;* v. 16 *mundos;* v. 18 *sola nos;* v. 19 *Gloriam patri melodis;* v. 21 *Gloriam Christo canamus;* v. 23 *qui trinus et unus deus.*

XLVI apud Moneum I, 444, apud quem sexta stropha adest: v. 4 *scandere caelum.*

XLVIII in breviario teste Fiala Gregorii Magni *(Dominica ad Matutinum);* v. 7 *simul et perennem;* v. 11 *Spiritus cui resonant per omnem Gloria mundum.*

XLIX in breviario, sed aliter *(Dominica ad Laudes): Ecce iam noctis tenuatur umbra Luce et aurorae rutilans coruscat Supplices rerum dominum canora Voce precemur, — Ut reos culpae miseratus omnem Pellat angorem, tribuat salutem, Donet et nobis bona sempiternae Munera pacis.*

L. Hoc carmen tot tantisque mendis foedatum est, ut in eis detergendis oleum et operam perdere nefas duxerim; itaque reliqui fere, ut erat. V. 44 pro *Angeli* desideratur vox ab h littera incipiens. Similem versuum compositionem, sed non alphabeticam, habes in Müllenhoffii et Schereri monumentis poeseos Germ. p. 35: *Heriger urbis, Maguntiensis, Antistes quendam* etc.

LI. Haec editionum discrepantia est: v. 2 *Lauream certaminis;* v. 5 *nobilem;* v. 10 *in necem morsu;* v. 24 *Carne amictus;* v. 29 *Et dei manus pedesque Stricta cingit fascia;* v. 33 *Sponte libera redemptor;* v. 35 *Agnus in crucis;* v. 37 *Felle potus ecce languet Spina clavi lancea, Mite corpus perforarunt, Unde manat et cruor;* v. 47 *Dulce ferrum, dulce lignum, Dulce pondus sustinent;* v. 53 *Et superni membra regis Tende miti stipite;* v. 56 *ferre mundi victimam;* v. 58 *Arca mundo naufrago Quam sacer.*

LIV. Edidit hoc carmen de Herico post Leboeufium Sinnerus in catal. Bern. I p. 148 seq.; qui quia eo munere minus accurate functus est, simul alterum codicem ad particulam certe pertinentem nanctus haud aegre illud repetivi.

LIX in breviario extat Fiala docente *(In Quadragesima ad Vesperas)*: v. 11, 12: *Sed parce confitentibus Ad nominis laudem tui;* v. 13—16: *Concede nostrum conteri Corpus per abstinentiam Culpae ut relinquant pabulum Ieiuna corda criminum.*

LX apud Moneum I, 387 legitur: v. 9 *maris*, recte; v. 14 *Confusus rui qua Venus;* v. 22 *gladius superbia;* v. 29 *faculam;* v. 30 *succensam;* v. 33 *Internas;* v. 34 *Inanis;* v. 37 *fistula;* v. 38 *Bona praesentans inrogavit temporis;* v. 43 *donet gratia;* v. 55 *colles mixta quoque rosulis;* v. 62 *unici;* v. 66 *Aequalis patri sanctoque;* v. 71 *sed rogativa me;* v. 73 *delue;* 74 *charismata;* 78 *fisus sed tua;* v. 79 *qui bona reis pietate solita;* v. 89 *Zelum pro Christi sum relatus nomine Nam sancta mater lacte me katholico;* v. 93 seq.: *Gloria sanctae trinitati unicae Sit deo patri genito paraclito Laus meo sonet in ore perpetuum Domini semper.* Quae

insuper in cod. Bern. 455 leguntur, pete ex codicum Bernensium catalogo (Bernae MDCCCLXXV).

LXVI edidit Senebier in codicum Genevensium catalogo a. 1779 satis eleganter scripto p. 130, sed minus ille accurate, quam ob rem repetivi.

LXXVI. Hoc carmen acrostichice compositum Rabani Mauri nomine insignivi, et quia in eo codice nil nisi Rabani Mauri scripta (commenta in Iudith, Esther, Maccabaeos) continentur et quod revera Rabanum talibus lusibus indulsisse constat. Quamquam Alcuini et reliquorum acrosticha multo subtilius esse instituta nemo negaverit.

LXXVII. Codicis Lugdunensis Voss. 70 s. X notitiam mihi comissime commodavit Ernestus Duemmlerus Halensis, edendis aevi medii carminibus antea fere incognitis optime de nostris studiis meritus, qui cum ad edenda codicis Bernensis 363 carmina in Tadonis honorem scripta me nuper adhortatus esset, huius opusculi impulsor alter extitit, eidemque ea, quae sequitur, doctrina debetur. Nam idem carmen in codice Parisino quoque Lat. 8674 f. 110[b] (praescriptum est: *Versus Alcuini ad Samuhelem Sennensis civitatis episcopum*) legitur, unde Leboeufius in libro, cui titulus est: *Dissertation sur l'état des sciences au temps de Charlemagne*, Parisiis 1737 (cum supplemento ibidem duobus annis post edito) publici iuris fecit, quem librum satis rarum neque Duemmlerus neque ego vidimus. De Samuele episcopo cf. Iaffeum in Bibl. rer. Germ. VI, 35. 902; Mon. Germ. SS. XXIII, 31.

LXXVIII. Habet Lugdunensis quoque codex, quem modo dixi, pone Alcuini epistulas eadem s. X manu scriptum praemisso titulo: *Incipiunt versus eiusdem*

*Alchuini.* Versus sex priores extant in Alcuini scriptorum editione Canisiana ex codice Sangallensi petiti; habet eosdem Rieseus quoque in Anthologiae Latinae vol. II praef. p. XIV, qui praeter codicem Parisinum 8069 (C) Bruxellensem quoque 10,859 saec. IX (B) adhibuit. V. 3 pro *vacuis* Rieseus *vanis* legendum coniecit; v. 6 pro *imago* in C legitur *ut digno,* in B vero *ut magne*, unde *ut magno* legendum sit, quia *imago* ab arte metrica abhorret. Reliqui versus hic primum evulgantur.

LXXXII. De hoc praeclaro carmine, quod Gallo Morelio meo Einsidlensi, cuius manes pie veneror, debeo, dixi in libello, quod a. 1869 Biennae prodiit: *Antike und mittelalterliche Räthselpoesie,* p. 34.

LXXXIII. Habes versionem Germanicam in libello, quem modo nominavi, p. 35.

LXXXIV. Explicavi eius aenigmatis rationes ibidem p. 32—34, quam explanationem Rudolfus Peiperus secutus est, qui versus Latinos primus ex apographo meo edidit in Commentariis Norimbergensibus *(Anzeig. f. Kunde d. deutschen Vorzeit)* a. MDCCCLXXIII mense Sept. nr. 9. Repetivi ob carminum antecedentium argumenti similitudinem.

LXXXV quamquam Rieseus habet Anth. Lat. II, p. 185 adnot., tamen repetivi, quia in meo codice non pauca prorsus aliter scripta erant.

VIIC—CV eadem manu s. XI—XII scripta sunt atramento flavo et fere evanido litteris minutissimis in membrana pessima, qualem de Burgundia petitam describit Anonymus Bernensis de clarea (quem sub Theophili Ilgiani calcem edidi in libro: Quellenschriften für Kunstgeschichte, ed. Eitelberger von Edelberg,

tom. VII, Viennae MDCCCLXXIV, p. 377—393) p. 387. Paucas particulas, quae melius legi poterant, Carolus Guilelmus Muellerus in Analectorum Bernensium part. I ediderat, minus accurate, ut solebat.

CVI. Habet etiam Wattenbachius in libello de duobus codicibus Monacensibus scripto, qui prodiit in Actorum academiae Monacensis class. hist. a. MDCCCLXXIII, p. 692. Est Marbodi, cf. eundem l. l.

CVII—CXXIV. Ex eodem codice olim in Fleckeiseni annalibus 1868 fasc. X, p. 711—729 comoediam distichis scriptam edidi; de carminibus nr. CX seq. cf. ibidem p. 713. 714.

CXXIX. De litteris mysticis vide quem in Anecdotis Helveticis grammaticis edidi secundum codices sex Bernenses Isidori tractatum praef. p. CXLIII seq.

CXXXV, 7. Est vox *Vulturnus;* vivit enim ut amnis in undis, capite ablato fit *Turnus* fortis in armis; medio sublato *vulnus* mucronis ictu patescit: *vultur* denique fine adempto aethera petit.

Lectorum commodis inserviens quattuor indices subieci, unum nominum propriorum et terrarum et hominum, ut, quis esset eorum carminum quasi intellectus et cogitationum orbis, rite pernosceretur; alterum, qui carminum praeter illa, quae ab initio mutila sunt, initia continet: nam id utilissimum, ut sciant viri docti in hac litterarum parte versati, quotiens bibliothecam manuscriptam pervolvent, utrum eorum, quae invenient, quid iam sit editum necne. Denique et argumentorum in singulis carminibus expositorum conspectum dedi, ut, quia carmina ipsa secundum codicum, in quibus inventa erant, aetates disposita sunt, id quoque scias, quae potissimum res in hac versuum mole tractatae sint.

Nec deest codicum ad hunc librum conficiendum adhibitorum brevis enumeratio additis carminum ex quoque petitorum numeris: nam maximopere refert sciri, quae quotve in singulis codicibus carmina ferantur. Appendicis loco acrostichicorum carminum nr. LXIX—LXXVI, p. 115—128, ut artificiose composita sunt, ita et imagines arte typographica eleganter describendas curavi, quo in genere C. I. Wyssius Bernensis, libri typotheta, egregie de litteris meruit. Ceterum sciendum, restare etiam multa carmina ex duodecimi praesertim saeculi codicibus collecta, quae, ne praestitutum semel spatium excederetur, in praesens missa feci alia occasione edenda. Historicas vero rationes in singulis carminibus obvias rerum a populis gestarum perscrutatores melius explanaturos esse cur infitias eam? Quare hanc quidem provinciam fere intactam reliqui illis obeundam. Quod boni consulant!

Scribebam Bernae a. d. VI Kal. Oct. a. MDCCCLXXVI.

# CARMINA

# MEDII AEVI.

## I.

# DE PASCHA.

Omnium regi referamus omnes
Gratias Christo domino Sabaoth,
Cuncta quem laudant elementa regem
  Consona uotis;

Quem canunt ciues Solimae supernae,
Cum regit mundum, mare, rura, stellas,
Còntinens nutu dominus creator
  Omne creatum;

Pascha qui nostrum uia uita fulsit
Ortus in terris oriens ab alto
Carnis in claustro patiendo mortem
  Morte redemit,

Prouidus custos generis humani
Morte deuicta rediens redemptor
Victor ad uitam tulit ipse praedam
  Mortis ab ore.

Hinc planetarum chorus axe fulget,
En iubar pulchrum speculumque solis
Plena fulgescit radiisue luna
  Lumine fratris.

---

I. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 194*$^b$.

V. 3 quae. 5 supernae] sr̃næ (æ = e *caudata*), *quod et* serenae *significare potest.* 11 patiendº. 15 praedam] *suprascriptum* mundum. 17 corus.

Inde congaudet polus, unda, tellus,
Gloriam Christo recinunt ouantes,
Praepetes pennis uolucres uolatu,
Nunc philomelae.

Tado, te Christi pretiosa palma
Subleuet semper meritis in altum,
Omnibus nobis pater atque fautor
Orbe remotis.

---

## II.

Tado benigne, uide uatis pia uota canentis,
Viue Deo felix saecla futura uidens.
Te docet, euge, papam domini doctrina docentem,
Sensibus in uestris sunt satis artis opes.
Angelus angelicam Rafael medicus medicinam
Conferat et uitae tempora longa tuae.
O filio domini serues ut ouile superni
Per solis cyclos pastor ouilis ouans.
Denique stelligeri conscendas culmina caeli
Praesul ab angelicis ductus ad astra choris.

---

V. 23 *super* pennis *scriptum* omnes. 24 *iuxta* nunc philomelæ *scriptum* carmina cantant.

II. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 194*$^{\mathrm{b}}$.

V. 1 *super* Tado *scriptum* anno *et super* benigne *manu eadem (ut semper):* beate. 2 *super* futura uidens *scr.:* longa metens, *quo facto poeta* saecula *rescripturus erat.* 4 in uestris] *superscriptum* inque tuis. 6 *supra hunc uersum haec leguntur:* omnipotens dominus uitae deus omnipotens dominus summae bonitatis origo. 7 superni] sr̃ni. 10 coris.

Emicat ecce dies paschalibus alma triumphis,
In qua congaudent sidera, rura, salum.
Salue, festa dies, festarum sancta dierum,
Qua deus infernum uicit et astra tenet.
Tellus, en, uario pandit sua munera partu
Spondens agricolae uincere posse famem.
Surrexit Christus, sol uerus, uespere noctis,
Surgit et hinc domini mystica messis agri.
Nunc uaga puniceis apium plebs laeta labore
Floribus instrepitans poplite mella legit.
Nunc uariae uolucres permulcent aethera cantu,
Temperat et pernox nunc Philomela melos.
Nunc chorus ecclesiae cantat per cantica Sion:
Alleluia suis centuplicatque tonis.
Tado, pater patriae, caelestis gaudia paschae,
Percipias meritis limina lucis: aue!

## III.

Viue, Sofride, potens per splendida saecla sub astris,
Sis decus in populis, sis decus inque polis.
Angelus angelicam Rafael medicus medicinam
Conferat et uitae tempora plura tuae.

V. 11 dies] *supra lin. additum* domini pascalibus. 16 agricolæ] *suprascr.* is = agricolis uincere posse famem] *suprascr.* plurima dona suis. 20 poblite. 21 aethera] *suprascr.* aera. *Cf. Verg. Aen. VII, 34.* 22 melos] *suprascr.* sonos. 23 corus.

III. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 194*[b].

V. 2 in populos, *corr.* populis] *suprascr.* uel in terris. 3 Angelus] *cf. II. v. 5—6.*

Nam quos Christus amat, castigat amore paterno,
Largus et aeternas auget amator opes.
Post solis cyclos solaria scandito castra,
Ciuis stelligeri sis et in urbe poli,
Pollet ubi regnum sanctorum principe Christo
Perpetuis opibus perpetuisque bonis.
Nam quod mundus habet, mundi quod circulus ambit,
Deficiunt saeclis singula quaeque suis.
Caelestis patriae caelestia praemia uobis
Prospera contingant, adsit et omne bonum.

---

## IV.

# HLOTHARII VERSUS.

Rex pietate uigil, nostros miserate labores,
Permotus elegis questibus affer opem.
In te mater enim penes inclinata recumbit
Et pia distribuit iura Sophia tibi.
In te diffusos statuit, rex optime, sensus,
In thalami secum arcibus arce locans.
Hinc arcana tibi legis mysteria prompsit,
Quidque sequi debet clericus ordo, dedit,
Et quaecumque homines perquirunt arte magistra,
Constituit, Caesar, iure tenenda tibi,
Astrorum retinens augusto in pectore legem
Conscriptam numeris multimodisque notis.

---

V. 12 deficiunt] *suprascr.* uel e = deficient. 13 praemia] *suprascr.* uel gaudia.

IV. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 196*$^{b}$.

V. 2 permotus] *potest et* promotus *legi* quaestibus. 6 arcibus] *suprascr.* caelitus.

Nosti praeterea, quis uoluat spiritus orbem,
  Aequora sollicitent flamina quaeue maris,
Vel cur Hesperias casurum sidus in undas
  Rursus ab Eoo surgat in arce poli.
Causas quin etiam nosti, cur Omnicreantis
  Ad specimen factus sit pretiosus homo.
Vt breuiter referam, te cuncto stemmate compsit
  Sophia praeclaro, uirtus et auxit ope.
Cedit namque tibi priscorum gloria regum,
  Regia nunc nouitas extulit aucta caput.
India quos tremuit, seruiuit et ultima Thyle,
  Nos superas equidem religione pia.
Perfida colla tibi flectentur iure, superbi
  Mens humilis subdet perfida colla tibi.
En, qui rex iugiter meditaris iura Sophiae,
  Quae uirtute sua reproba colla domat.
Nam scriptura refert, hanc excidisse columnas
  Septem praecipuas et statuisse domum.
Subdidit interea rigidos regina tyrannos
  Collaque calcauit uiribus aucta suis.
Haec, quae permagnis te praefert dotibus auctum
  Atque opibus propriis inclita quippe fouet,
Haec regimen summum tribuet sapientia uobis
  Atque suis faciet sedibus ipsa frui.

---

V. 13 N . . . . . *in codice habetur foramine tinearum maleficio id quod scriptum fuerat intercludente, cf. v. 17* orbem] *margini adscriptum* uel astra. 14 flamina] *suprascr.* uel flumina maris] *suprascr.* uel e = mare. 29 scriptura [a] refert. 34 indita.

## V.

Hauriat Caesar, sapiens, benignus
Auribus carmen citharaeque melos,
Qui debet crebra uariaque laude
  Glorificari!

Laudibus regnum et diadema clarum
Caesaris magni uigeat, coruscet!
Caesarem semper recinetque nostrum
  Carmen ubique!

Omnis exultet moduletque cernens
Regis aduentum propero recursu,
Visitans nostrum Latium sereni
  Sexus et aetas.

Taetra cum nubes radios corusci
Solis inuadit Boreasque spirans
Verberat nubes, tenebrosum amictum
  Emicat et sol:

Haud secus noster reduci meatu
Caesar Augustus Latium petendo
Nubilae mentis pepulit tenebras
  Splendidus ore.

Arbiter, regnum moderans ab aeuo,
Protegens nostrum comitare regem,
Porrige dextram famulo fideli
  Christe redemptor!

---

V. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 196*[b].

V. 1 hariat. 13 tetra. 15 uerberet. 16 emicet] *suprascr.* uel a = emicat. 18 petendus, *suprascr.* o.

Regnet ut sceptrum retinens auitum,
Jure subiectos foueat Quirites,
Gaudeat tanto domino subesse
  Urbs quoque Roma!

Imperet fretus propriis habenis
Sponte subiectis placida quiete
Legibus torquens alios seueris
  Rite rebelles!

Virtus ast illum comitatur alma,
Cuncta, quae optamus, regimen secuntur
Caesaris nostri domino uolente,
  Te quoque, Christe.

Summa maiestas, pater atque nate,
Spiritus sanctus precibus adesto,
Reddimus regis tibi pro salute
  Quas, deus unus!

VI.

## VERSUS QUI DESCRIPTI SUNT IN CALICE.

Hoc agni cratere sacro potantur et haedi,
  Sed haurit digne, crimine quisque caret.
Hunc Angelbertus renouans insignis et auro
Praesul et, en, magnis gemmis uariantibus auxit.

---

V. 30 placita. 35 christo.

VI. *Cod. Bern. 363 s. VIII f. 197*[a].

V. 1 hoc] h.c. hedi. 2 quique. 3 Angelbertus] *fuit* ingelbertus.

## VII.

## PRAEFATIO.

Desere corda, dolor, cum sint, en, gaudia nobis:
  Noster adest senior: desere corda, dolor!
Gloria nostra redit, clementia luxque serena:
  Cuncti laetemur: gloria nostra redit.
Cedite uos, tenebrae, tenebrarum cedite nubes,
  Dum iubar est praesens, cedite uos, tenebrae!
Pastor amoenus adest, pastores, ducite dona:
  Pastores ueniant! Pastor amoenus adest.

## COLLATIO SIVE NARRATIO.

Orbis ab urbe uenis, patriae pater, euge, reuersus
  Tado, decus populi, orbis ab urbe uenis.
Sunt tua rura tibi, salue, sol, sole salutis,
  Urbs est metropolis: sunt tua rura tibi.
Te uocat Ambrosius, domini domus et tua sedes,
  Sanctus, Tado, tuus te uocat Ambrosius.
Te redeunte tui redeunt ad gaudia ciues
  Exultantque chori te redeunte tui.
Te duce plebs domini praepollet lampade Christi,
  . . . . . unt iusti, te duce, plebs domini.

VII. *Cod. Bern. 363 s. VIII f.* $197^{b}$. *Carmen multis locis, praesertim in versuum initiis, tinearum fraude deletum est, sed quia versus serpentini sunt, nonnumquam lacunae facile reparari poterant.*

V. 3 *utrum* clementia *an* dementia *scriptum sit, dignosci nequit.* 6 tenebre. 10 *utrum* pts *an* pto *an* pti *scriptum fuerit, per lacunam diuinare non licet.* 11 salutis] *in marg.* uel sereno. 13 et] *suprascr.* uel at. 16 e.... tantque cori. 17 praepollet lampade Christi] *suprascr.* uel lustratur lumine christi. 18 Poli... unt *mihi legere videor* domini] *sequitur versus:* uel rel[igi]one mic[at] te duce plebs domini.

Porrige, pastor, opes; ouibus date uellera uestris,
Nobis exulibus porrige pastor opes.
Munera multa tibi tribuat deus altus ab arce,
Conferat et uitae munera multa tibi.
Collige Scottigenas, speculator, collige sophos,
Te legat Omnipotens: collige Scottigenas.
Haec tibi scripta, pater, compulsus amore paterno,
Scripsi, si recipis, haec tibi scripta, pater.
Pacifer orbis ades patrata pace per urbes,
Ecce, sator pacis, pacifer orbis ades.
Nos decet altithrono grates modo reddere regi,
Vota uouere deo nos decet altithrono.
Prospera cuncta fluant uobis, decus et fluat omne,
Praemia contingant, prospera cuncta fluant.
Utere pace bonis, quibus utitur Itala tellus,
Ecclesiae bonitas, utere pace bonis.
Cunctipotens dominus, qui numine cuncta tuetur,
Vos tueatur, amen, cunctipotens dominus.
Nunc, bone pastor, aue, sanctos comperte labores,
Post iter emensum nunc, bone pastor, aue.
Suasit amor domini Simonem uisere Petrum,
Ire uias duras suasit amor domini.
Vicit iter pietas pacis dans foedera mundo,
Eximiae fidei uicit iter pietas.
Optime pastor, aue: dicat polus undaque, tellus,
Cuncta elementa sonent: optime pastor, aue!

---

V. 22 multa munera multa, *priore* multa *deleto.* 25 Tibi haec tibi, *priore* tibi *deleto.* 29 grates modo uel nunc, *scriptione continuata* regi] *sequitur versus:* uel nos decet altithrono regi modo reddere uota. 40 ire] i.e.

## VIII.

# DE LEODFRIDO.

Culmen honoris, aue, magno de semine magnum,
Carpe uias uitae, culmen honoris, aue.
Te decet omne decus, bonitas bonitate Tonantis,
Dux Leodfride potens, te decet omne decus.
Percipe uota uidens princeps sub principe Christo,
Versifici uatis percipe uota uidens.
Pax tibi sitque salus pedi, per marmora salsa,
Per mare tutus eas, pax tibi sitque salus.
Saecula plena bonis post uitae saecla uiantis,
Perpes possideas saecula plena bonis,
Pollet ubi populus caelesti lumine gaudens,
Sis caeli ciuis, pollet ubi populus.
Sidereis opibus sis sidus in urbe Tonantis,
In patria lucis sidereis opibus.
Sidereae Solimae Petrus portarius aulae
Sit tibi cum claui sidereae Solimae.
Sanctus et Ambrosius te ducat ad limina Sion,
Angelicus chorus, sanctus et Ambrosius.
Dextra superna dei te protegat, obsecro, Christi,
Te quocumque ferat dextra superna dei.
Optime ductor, aue: dicat polus undaque tellus,
Cuncta elementa sonent: optime ductor, aue!

---

VIII. *Cod. Bern. 363 s. VIII f.* $197^{b}$.

V. 1 magnum uel celsum. 3 Tonantis] *suprascr.* parentis. 11 lumine] *suprascr.* uel munere. 13 sidus] *suprascr.* uel diues. 17 ad .... ina. 18 angelicus] *suprascr.* uel sanctorum. 19 superna] sr̃na, *quod et* serena *significare potest.* 21 optime ductor] cf. VII, 43. 44.

## IX.

A dmiranda mihi mens est transcurrere gesta
E x arce astrifera cito si redis arbiter inde
L ex etiam docuit typice portendere Frede
F lagranti simul moles mundi arserit igne
R ex formasti habens melius gnarum, optime, flammis
E ripis atque chaos uincens, Christe, ipse necasti
D iuino super astra frui per saecula uultu.

## X.

E n tibi descendant e caelo Gratiae totae,
L aetus eris semper, Aelfred, per compita uitae
F letus iam mentem sacris satiare querela,
R ecte doces properans falsa dulcedine mure.
E cce aptas clara semper lucrare taltan
D octe peregrinae transcurre rura sophiae.

---

IX. *Cod. Bern. 671 s. IX f.* $74^{b}$, *characteribus Saxonicis scriptus.*

V. 2 Eserce s̃ reddes. 3 etiam ṙ. 4 flagrantice. 5 habens] hs̃ s̃ flam̃.

X. *Cod. Bern. 671 s. IX f.* $74^{b}$.

V. 1 discendant æ celo. 2 letus, competa. ate. 3 fletus, *corr.* flens. 4 dulcidine. mure, *sic.* 5 taltan, *sic.* 6 peregrine, sophie.

## XI.

# EPIGRAMMA OPERIS SUBSEQUENTIS.

Quisquis amas sacram, lector, addiscere legem,
Hunc nostri studii librum percurre legendo.
Repperies facile, quicquid cognoscere malis.
Florea cuncta gerit, prata uirentia gestat,
Pascit amantes oues, sincera animalia Christi,
Ostendit patriam celsam regnumque Potentis,
Tartareos ignes et tristia non finienda.
En, ibi Christus adest regnum conferre beatis,
Impiis e contra horrenda supplicia confert.
Sublimis anima, conscende ad regia caeli,
Impiger adcurre, careas ne praemia....
Et picei fontis horrendas despice flammas.

---

## XII.

. . . . . . . . . . . . . . . .
Cum quis Tonanti reddere gratias
Victoriae studens datori
Eximios celebrat triumphos.

---

XI. *Cod. Bern. 611 s. VIII—IX f. 88ª. Hoc carmen praemissum legitur tractatui alicui theologico, cuius hoc est initium:* Te quoque, mi uenerabilis domine, depraecor omnesque sacratissimi fontis unda delibutos quibus lectio huius libelli placuerit etc. *Hoc epigramma esse Taionis (80, 731 M.) docent Initia librorum patrum Latinorum.*

V. 3 mallis. 6 potentem. 7 tristicia. 11 proemia...] *an* caeli *vel* regni? 12 horrandas dispice.

XII. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 38ª. Apparet, tres uersus strophae Alcaicae ultimos solos superesse. Ea enim codicis pars, qua carmina continentur, ab initio mutila est.*

## XIII.

# DE CARMINIS IMPEDITIONE CAVSA THEMATIS TROPOLOGICE.

Auri stemmate nexas
Flauescente coronas
Me cantare parante,
Ut mitis caput altum
Cingit lamina flexa,
Ut gemmae uariatum
Instaurant diadema,
Iaspis necne smaragdus
Saphirusque, beryllus,
Ut texatur achates
Pulchrum post hyacinthum,
Ut comptissima cocci
Mordet fibula uestem,
Armillisque lacerti
Vernant articulosque
Signans anulus ornat —
Frenant scrupea plectrum,
Elidunt scopulorum
Dulcem marmora Musam
Et saxosa moratur
Laetum glarea gressum.
Hinc circumuolat ales
Suetus praepete penna,
Cornix omina clangit,
Garrit bubo seuera.
Grus, cygnus, philomela,

---

XIII. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 38*ᵃ.
V. 4 altum] t *in ras.* 9 berillus. 12 hiacintum. 26. cignus.

Anser, turdus, hirundo,
Turtur, pica, palumbes,
Passer, noctua, coruus
Stridentes uariarum
Dant discrimina uocum.
Quodsi dulcor apertas
Mellis sparserit auras,
Mox diuersa sequuntur
Iocundum ora animantum
Delibare saporem.
Importuna uolucrum
Instat musca, fauorum
Spargi nectare ritens:
Fucus, brucus, asilus,
Crabrones sciniphesque
Cum uespis culicesque.
Hinc circumfremit amplo
Hiscens belua rictu
Pantherae, leo, tigres,
Cum pardo lupus, ursus
Et cum rhinocerote
Gryphes, simia, lynces,
Vulpes, laena, camelus
Et setis aper horrens
Armentumque gregesque
Proturbare parantes.
Sirenae quoque dulces
Blande dira sonantes
Carmen carmine laedunt:
Cantu cantibus obstant.

---

V. 34 mox *in ras.* 45 panteræ. 47 rinocerote. 48 griphes linces. 49 lena.

Hinc auro phaleratus
Stans pernix equus hinnit,
Stultus rudit asellus
Et robustus onager;
Mugit taurus, et illo
Mugit feta iuuenca,
Veruex, hircus et haedus
Balatum uariantem
Dantes carmina sistunt.
Dignum lac rationis
Iam captare uolenti
Obrepit uafer agno
Serpens funebre diro
Gestans ore uenenum:
Aspis, uipera, Python,
Regalis basiliscus,
Crudelis draco flatu
Et cornuta cerastes
Intentique colubres.
Verum haec omnia uinci
A se sacra caterua
Regis robore fulta
Gaudens cuncta regenti
Dignum pangit honorem.

---

V. 64 hyrcus et aedus. 71 pithon, i *in ras.* 75 *Versus fere totus putredine deletus est.*

## XIV.

# DE NAVIGIO ET AGRICVLTVRA.

Undis raucisonis uela tumentia,
Ventis hinc trepidus tradere molior,
Confecturus iter per uaga marmora.
Luctam prora subit, carbasa Circius
Inflat, Corus et hinc, inde Fauonius;
Subsolanus eis obuius irruit.
Eurus cum Borea praelia perstrepit.
Tum Vulturnus agit, tum Zephyrus ratem.
Austris hinc rapitur, hinc Aquilonibus.
Parua lintre uehor. non mihi classica
Nauis barca sedens pluribus ancoris:
Cumbis atque scaphis competo caerula.
Magnis naufragium non ego mercibus
Innixus uereor: remus adit celer
Portum cum scaphula funibus eximens
Nautam pensilibus brachia restibus
Ne tendens pereat remige perdito.
Sic iam transiliam damna negotii,
Detrimenta lucri, fenora diuitum.
Indemnem prohibent . . . . .
Omni posse frui tempor[e . . . . . .
Culturae labor hinc de. . . . . . .
Quo cultu ualidis . . . acco . . . . .

---

XIV. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 39*$^{b}$.

V. 2 trepi$^{dus}$, *in ras.* 5 chorus. 6 eis obuius irruit *in ras.* 7 eurus cum borea prælia perstrepit *in ras.* 8 zephirus. 10 michi. 11 anchoris. 12 competo cerula *in ras.* 16 pensibilibus, bi *del.* *Versuum 20—23 clausulae abscisso folio perierunt.* 23 acco . . .] *an* accola?

Rastri subsidiis effodere scrobes.
Spinae sunto procul, cum lolio filex,
Neu laedant tribuli gramina neu rubus!
Nec zizania nec reproba germina,
Flores ut placitos pollice carpere
Possimus, uiolas ungue recidere,
Cum nardi folio lilia uirginum,
Et cum dulce thymum, tum colocasia,
Fructus mandragorae, summa papauera,
Ramos arboribus sumere frondium,
Spiramenta bono flamine dantium.
Sulcis neu dubitem credere semina!
Nam qui plura serit, plura metit sata.
Messem frugifero pignere colligens,
Maturas segetes in cumulos agens,
Condens hordea cum farre, legumina,
Lentis grana, fabam, uile cicerculum.
Vites quin etiam, Bacchica munera,
Sulcis nec remorer uel scrobibus dare
Sarmenta uniferis uitea brachia,
Vanos ac frutices demere uitibus,
Palos palmitibus subdere gemmeis
. . . . . . . . . . . . . . ma turbine
. . . . . . . . . . . . . . on . . us
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

V. 24 scro . . . 25 sunto, n *in ras.* 27 reproba, re *in ras.* 31 tymo tum] tu *in ras.* 33 sumere] sume *in ras.* 34 spiramenta bono flamine *in ras.* 37 messem—colligens *in ras.* 39 cum farre *in ras.* 40 uile *in ras.* 41 munera] mu *in ras.* 42 sulcis nec remorer *in ras.* 43 sarmenta—brachia *in ras.* brachia] *an* Bacchica? *cf. v. 41.* 44 uanos *in ras.* uitibus *in ras.* 45 palos *et* gemmeis *in ras.* palmitibus] bus *in ras. v. 46—51 aut toti aut fere toti deleti.*

Pru . . . . . . . . . . . . . . . eans
Torcularia quae largiter impleant
Dantes dapsiliter musta recentia,
Aras quae rubeant diuite copia
Puri cum solito munere tritici:
Agni in mirifico sanguine transeant,
Et nos laetificent faece carentia,
Regi concilient, crimine segregent,
Pestem submoueant, prospera commodent,
Ut cum militibus corde fidelibus
Utamur decoris stemmate nobilis,
Gaudentes celebrem sumere gloriam.

## XV.

## DE CONSTRVCTIONE DOMVS DEI SECVNDVM HIEZECHIHELEM.

Alacris fides tropaeis,
Requieta post labores
Fabricare templa quaerens
Decoris pio datori
Calamo prius librante
Habitum situmque mensa est
Lapidis uigore firmi

V. 50 torcularia quae] *utrum* quae *an* qui *scriptum sit, haereo; certe* q *litterae pars inferior adhuc agnoscitur.* 53 solito] i *in ras.*

XV. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 40*$^{b}$. *Jn titulo habes:* H$^{i}$EZECHIHELEM.

V. 4 decoris—datori *in ras.* 5 librante] *fuit* laborante. 6 mensa] *num* emensa?

Fabricam serens struendam.
Super extruamus omnes,
Quod habere quit benigna
Manus off . . . . . .
Lapides hon . . . . .
Lapides amor . . . .
Opulenta ditis . . . . i
Adhibentibus talenta,
Sapientiae supernae
Bene qui uigent amore.
Properet sequens metallum
Proprio decore uernans.
Tribuentibus peritis
Alius det aes sonorum
Diuturna saecla uincens.
Speciem det ille stagni,
Aciem det iste ferri.
Speciebus inde multis
Elementa deuehantur:
Pretiosa ligna cedri,
Nemoris cupressus ampli,
Abietis cacumen altum,
Terebinthus atque pinus.
Oleam simulque buxum
Cecinit propheta et ulmum,
Sterilem licet, Falerni

---

V. 9 extruamus] ex *in ras.* 10—14 *iniquo fato ambesi sunt.* 14 *ex ultimi verbi vestigiis* auri *erui possit: certe ante* i *postremam* r *fuit.* 21 det, *corr.* dat. 23 det, *corr.* dat. 24 det, *corr.* dat. 26 deuehantur, *corr.* deuehuntur. 29 abies] *sed fortasse hoc retinendum, verbis* cacumen altum *pro appositione acceptis.* 30 terebintus.

Frutices tamen ferentem.
Fabricantur ergo tigna
Trabibusque praeparatis
T . . . . . . . . . . . . .
L . . . . . . . . . . . . .
S . . . . . . . . . . . . .
Pa . . . . . . . . . . . .
Etiam au . . . . . . . .
Tegitur solum superne:
Basibus suis columnae
Statuuntur eminentes.
Cameris iugantur arcus
Aditumque ianuarum
Decorat caput diei.
Aperitur arcuatis
Paries minax fenestris
Thalamique digeruntur
Calamoque metiuntur.
Modus ostiis sacratur.
Ita limen atque postes
Cubitalis ordo censet.
Domus ipsa post columnas,
Ubi porticus receptat,
Vicibus gazophylaci
Habet in honore cellas.
Sub eis ibi ante frontes
Subit expolita palmae
Species notans triumphos.
Patet atrii quod extra

---

*V. 37—41 praeter initia hausti.* 41 *post* au . . . r *legi videtur.* 45 iugantur] *fuit* iungantur. 57 gazophilacii. 60 expolita *in ras.* 62 patet *in ras.*

Valido uig . . . . . . . .
Lapidis seri . . . . . . .
Bifores sub in . . . . . . .
Aquilonibus Notisque
Roseisque stant quadrigis.
Ibi porticus, fenestrae,
Thalami gradusque palmae.
Atrium manet quod intus,
Simili decore, ualuas
Snperat gradu priores.
Ibi sub honore mensae
Statuuntur, ut piacli
Mala uictimae repellant.
Cubito altitudo mensae
Labiis patet reflexis.
Ibi latitudo tanta
Data, longitudo quanta.
Ubi uasa consecrata,
Paterae, urcei, canistra,
Calices, scyphi, cyathi
Super ordinantur aris,
Sed et aptae ad hasce carnes
Et in atrio hoc, quod intus
Latet, hic opes habentur.
Citharisque uocibusque
Bona Regis efferentum

---

*V. 63—65 paene toti a tineis vel putredine pessumdati.* 65 *post* sub in *videtur* c *littera subinferri.* 66 Notisque] *nil legitur nisi* not *et* q *litterae pars inferior.* 73 *fuit* remensæ. 77 patet *in ras.* 81 urcei] *fuit* urceus canistra] a *post. in ras.* 82 calices] alices *in ras.* sciphus *corr.* sciphi caathi, *corr.* ciathi. 84 sedet [h]asce. 87 cytharisque.

C . . . . . . . . . . .
S . . . . . . . . .
C . . . . . . . . .
Ita . . . . . . . .
Fabricae or . . . . io
Domus, atrium, columnae,
Gradus, aula porticusque,
Modus atque ianuarum
Laterumque frontiumque,
Paries migrans in altum
Habitusque templi herilis,
Ubi latitudo sursum
Magis ampla, quam deorsum:
Positisque in orbe gyri
Cochleis aditur illo.
Laterum quoque altitudo
Calami modo libratur.
Fabricatur aedis alta;
Precibus piis dicata
Moderatur ostiisque
Aperitur: hinc et inde
Habitacla separata
Domui struuntur atque
Proprios modos capessunt.
Ibi et arte fabricatae

---

*V. 89—93 deleti.* 93 . . . . io] *an* to? 98 paries] *fuit* pariens. 99 que templi herilis *in ras. V. 100 ante v. 101 locavi codicem secutus, in quo signa ·:· singulis versibus praefixa sunt* 101 magis ampla *in ras.* 102 giri. 103 cocleis illo] *post* o, *quae in ras. posita est, aliquid erasum.* 106 alta *in ras.* 108 ostiis que. 111 struuntur] str. *in ras.* 112 capessunt *in ras.* 113 ibi *in ras.*

Hominis, simul leonis
Facies im . . . . . . .
Positis utrin . . . . .
Paries et ost . . .   . .
Positae in honore . . . .
Poliuntur hoc decore.
Ibi munerumque cellas
Domuique separatas
Habet atrium statutas
Aquilone sub uel Austro,
Ubi uestiuntur almi
Sacra dona baiulantes.
Ita Dis parata uulgo
Vario uenusta cultu
Calamoque terminata
Domus hoc honore pollet.

---

## XVI.

## DE ARITHMETICA.

Septem columnis intus eminet domus
Gemmis renidens lucide micantibus.
Illic decore splendido fulget thronus,
In quo decenter insidens Sapientia
Numeris et aequa lance pensat omnia,

---

*V. 115—118 clausulae putredine deletae.* 126 ita$^{\text{dis}}$ parata. 127 uario—cultu *in ras.*

XVI. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 44$^{a}$. Ante titulum duae lineae, quibus et ipsis titulus continebatur, erasae sunt.*

V. 5 lance pensat omnia *in ras.*

Nunc iuncta scindens, nunc rescissa glutinans,
Certoque cuncta metiendo margine
Retractat, ex qua coeperint crepidine
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . .
Q . . . . . . . . . . . . .
Nec . . . . . . . . . plex diuinitas
Valet nec ex honore quicquam perdere.
N]umeri uidetur unitas exordium,
R]erum Deus probatur ut primordium,
E]t haec ubique pars et haec totum manens,
Q]uae sempiterna perstat ad uicem Dei.
U]nus Deus, baptisma, ueritas, fides.
Haec unitas, quam dico seminarium,
Parit diadem coniugali uinculo,
Quae nuncupatur prima procreatio,
Est quae bonorum uel malorum particeps
Concordiam creatque uel discordiam.
Hac ponderata lege gaudet aequitas,
Hac ordinatur ipsa duplex caritas.
Sic bina testamenta, sic binum Cherub
Substantiae duplexque nostrae portio
Christique naturas duas discernimus.
Perfecta posthac et beata trinitas
Numeri imparisque principatum continens.
Finem caput mediumque prima sortiens,
Diuersaque interualla prima metiens
Uni supreme maximo datur Deo

---

*V. 9—11 toti hausti, v. 12 et v. 13 paene toti.* 13 Nec] i *sequi videtur.* 26 duplex] *ante hoc vocabulum una littera erasa est.* 33 diuersaque—metiens *in marg. v. 32 adscripta sunt.*

Eius triformes trine personas notans.
Est cuius . . . . . . . . . . . . .
Eoque et hic . . . . . . . . . .
Quod gignit ex . . . . . . . . .
Ter ductus ut n . . . . . . . . .
Hoc tertio preces petuntur auspice,
Symphonias tres continet uox musica.
Metitur iste iure certo tempora,
Praesens futurum tempus atque transitum.
Animae ipsae motus diuidit ternarius.
Mundana constat et sub hoc perfectio,
Monas datur dum fabricatori Deo,
Dias rei, qua procreantur omnia,
Triasque formis mater idealibus.
  Hinc quadra tetradis subit perfectio
Punctumque et imum lata longa colligens,
Decadis in qua fit simul completio
Iunctis prioribus sibi sub ordine.
Sic a decem perfectus it centesimus,
Crescens iugatis qui secuntur cum decem
Adusque quadraginta plenis terminis.
Centum ducenti cum trecentis et quater
Ducta coacti lege centenarii
Dant mille sic ad usque mille milia.
Tetradis ultra surgit at protensio:
Haec quattuor metitur anni tempora

*V. 36—39 fere toti euanuerunt* cuius] *sequi videtur aut* s *aut* i. 37 eoque et hic *in ras.; sequitur* p, *ni fallor.* 39 ut n . . .] no *vel* na *mihi agnoscere videor.* 40 auspice] *non legitur nisi* auspic. 43 tempus atque *in ras.* 44 ipsæ *supra. lin.* 51 completio] *fuit* complectio. 52 ordine] *sequitur versus plane erasus.* 54 crescens] ens *in ras.* 59 at] aut.

. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . .
T . . . . . . . . . . . . . .
Tot u . . . . . . . . . . di decursibus
C]herubimque uultus comprobantur quattuor
. . . et dei gloriam mundo inuehunt
. . . . . gestis tot patent uolumina
. . . . . o attributus iungitur quinarius
El] ementa mundus quod subit post quattuor
. . . . . . agulatus estque naturaliter,
Sexus quod utriusque constat auspice,
Triade, qui uirilis esse traditur,
Diade, feminina quae decernitur
In se reuertens hoc modo qui dicitur.
Namque ipse per se ceteros uel impares
Ductus repraesentare se dinoscitur.
Per se quidem sunt quinque uiginti simul
Ter atque ducti quinque reddunt quindecim
Et septies triginta quinque proferunt.
Idem quadragies noueni quinquies.
Mundi figuram quinque zonae continent
Sensusque nostri diuiduntur quinquies.
Tot incolis hic mundus ergo panditur,
Homo, quadrupes qui sunt, natans, repens, volans.

---

*V. 61—65 temporum iniquitate hausti.* 65 Tot u . . .] *Sequebatur aut* e *aut* o. 66 *fuit* cherubinque. *67—71 desiderantur initia.* 67 et dei *supra lineam posita conspiciuntur* mundo in *in ras.* 69 . . . . . o] quarto *legendum videtur.* 71 . . agulatus] *praecedit, ni fallor,* o, *legendumque ob id* coagulatus estque] *suprascriptum quid, sed legi nequit.* 74 femina, *corr.* feminina. 76 ipse *in ras.* 83 sensusque] n *in ras.*

Numerum uocarunt hunc sophi diametrum
Mediam det . . . . . . . . . . . . .
Antiqua lex . . . . . . . . . . .
Carnalis atque i . . . . . . . . .
Quis esse perfectum . . . . . . .
Is cum suis adimpleatur partibus
Media sui sexta simul cum tertia.
Sex officia sunt ergo naturalia:
Figura, magnitudo, motus et color
Statusque et interuallum et his nihil sine
Motus habentur totque differentiae
Praeter perennem, qui sibi reuertitur.
Numerus fit hic triade dicta mascula
Iuncta diade, quae uocatur femina.
Solidae figurae sunt tot eminentiae
Totius harmoniae tonos tot dicimus.
Quem primus ut motus plicat, duodecim
De se probatur duplicatus reddere.
Medii duos quos inter octo cum nouem
Sunt unus; ex his mox per ipsum terminum
Superatur a duodecim, quo sex tegit,
Confertur octo lege nec non musica.
Nam parte tali uincit illum praeminens,
Qua parte sex hic uincit, ipsa est tertia
Geometricali iure et haec collatio
Fit, ut supremi termini tot colligant

---

V. 86 so$^{\text{phi}}$ *in ras.* *87—91 fere toti deleti.* 89 atque i . . .] n *sequi videtur.* 91 is cum] *fuit* cum is partibus] p . . . . bus. 95 et his nihil sine *in ras.* 97 *fuit* reuertitur sibi. 98 tria dedicta. 99 iuncta diade *in ras.* 101 armoniae. 105 mox *in ras.* 106 quos ex. 108 præminens] *suprascr. nescio quid nunc erasum.* 109 ipsa *in ras.*

Per se librati, quot ualebunt infimi.
. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
C . . . . . . . . . . . . . . . . . .
H . . . . . inu . . . . nomen patet,
Sex ad duodecim dupla est symphonia,
Sex ad nouem uocatur at sesqualtera
A]c sex ad octo dicta dia tessaron.
M]etitur hic ductus queterno tempora
H]oras diei noctis atque partiens.
Sex in diebus hoc creatur saeculum,
Sex sunt et aetates sub ipso saeculo,
Versae in Falernum quot fuerunt hydriae.
  Procedit hinc uirago septenarius,
Qui solus infra praeminens denarium
Non gignit ullum, sed nec ullo gignitur.
Numeris quod ex utrisque constet masculis
Ac femininis, hinc uirago dicitur.
Formasque lunae metiens amplectitur
Modoque signat eius isto lumina
Viginti et octo, quod facit minoribus
Iunctis sibi, quot haec diebus emicat.
Septem dies sunt, quis aguntur saecula,
Septem planetae, septem eorum circuli.
Elementa procreationes tot habent,
Probatur atque nostra sub tali modo

V. 112 infimi] intimi. *113—116 toti deleti.* 117 inu . .] *potest et* mu *legi.* 118 simphonia, *corr.* 120 diathesseron. 124 et aetates] et *m. II. insertum* sub *in ras.* 125 quot] t *in ras.* 126 uirago] per uirgo, *cf. v. 120.* 129 ex utrisque *in ras.* 130 femininis] inis *in ras.* 136 earum, *corr.* eorum. 138 probatur—tali *in ras.*

Natura di . . . . . . . . . . . . . .
Hominem per . . . . . . . . . . .
Mensis meatus . . . . . . . . . .
Caput gerit tot ce . . . . . .
Sic paruulis in men . . . . te . . . .
Surgunt et hi mutantur orbe septimo.
Secunda septimana tum pubem mouet,
Florem genarum praestat inde tertia,
Augmenta staturaeque quarta terminat,
Quinta iuuentutis micat perfectio.
Natura septem membra dat uitalia,
Quae lingua, pulmo, cor, lien, renes, iecur.
Hominisque septem frusta corpus dissecant:
Pectus, caput, uenter, duae manus, pedes.
Axisque stellae tot polorum uertice,
Sanctae tot ecclesiae probantur lumina,
Tot dona propter septiformis Spiritus.
Requies dicatur atque septenario
Perfectione consecrata sabbati.
  Perfectus inde surgit octonarius
Cybus uocatus ipse primus omnium
Crescens diade motione primula,
Tetras diade duplicata prouenit,
Diade mota gignit octonarium
Perfectus et tegit quod hunc senarius,
Cybi quod omnis sunt tot eminentiae.

---

*V. 139—143 putredine fere ad tertiam partem redacti.* 141 meatus] p *sequi videtur.* 142 ce . . .] *an* co . . . ? 143 paruulus, *corr.* 144 orbe *in ras.* 145 tum *in ras.* 146 *fuit* genarum *sive* genarium. 151 frusta] a *in ras.* 153 stellæ, læ *in ras.* 154 tot] *corr.* quot. 159 ipse *in ras.* 163 *inter* et *et* legit *duae litterae erasae.* 164 *fuit* cubi.

. . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . .
R . . . . . . . . . . . .
Signans f . . . . . . . splendidorum gloriam
Aetatis almam post quietem septimae
Ut lege mortis Christus euicta die
Surrexit octaua, quod est post septimam.
Animae tot extitere saluae, tempore
Quo perdidit Gigantas exundatio,
Numero notantes hoc beatam gloriam
Nostrae salutis atque dantes formulam.
  Nouenus hinc perfectus esse cernitur.
Idem uocatur inde sed perfectior,
Quod fit suis triade ducta formulis
Primique uersus prodit iste terminum.
Censetur harmoniae sed et pars ultima:
Octade collata nouem nam fit tonus.
Hinc et nouem Musas uocarunt musici
Sphaeraeque mundum tot feruntur cingere.
Sic angelorum tot habentur ordines,
Lapides propheta nobiles tot praedicat,
Primi creati Spiritus in tegmine.
  Prae ceteris habendus est denarius:
Perfectus in se ceteros qui colligit
Perfection . . . . . . . . . . . . .
Primi iste . . . . . . . . . . .

---

*V. 165—168 toti deleti; sed fortasse quinque versus scripti erant.* 169 f . . . . .] *fortasse* st *scriptum fuit; in vocabuli fine* i *mihi deprehendere videor.* 179 tria deducta. 180 prodit *in ras.* 181 armoniæ. 184 speræque feruntur] ferunt *in ras.* 186 quot. *190—196 ex parte deleti.* 191 iste] *sequitur* i *vel* u.

Versus prior . . . . . . . . . .
Analogias atque . . . . . . . . .
Perfectiones por . . . . . . . . .
Formas et inperfecti . . . . . .
Mandata legis in dece . . . . . . .
Conscripsit et superna regna construens
Ad angelorum prouehendam gloriam
Decadis hominem subrogauit ordini
Perfectione Rex potens dignissima
Complens beatam fulgidorum curiam.

---

## XVII.

## DE MVSICA.

Rimans nexa poli culmina rectrix
Istis sub numeris organa nectit,
Quis effulta modis musica uernat,
Quae dicta est memoris filia Mentis.
Nam si forte toni mente recedant,
Quod scribi nequeunt, ergo peribunt.
Hac quandoque fuit turpe carere,
Ut nec nobilibus grammata nosse,
Quae laetis etiam, tristibus atque
Diuinisque solet rebus et imis
Affectu uario commoda iungi.

---

V. 194 por] *an* pos? 196 in decem] *suppleas:* decem libris deus. 199 decadis hominem *in ras.*

XVII. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f.* $47^{a}$.

V. 1 Rimans—rectrix *in ras.* 3 quis effulta *in ras.* uernat *in ras.* 5 Nam *in ras.* 6 $quo^{d}$ *in ras.* ergo *in ras.*

Ars perfecta uiget qua sine nulla
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . .
C . . . . . . . . . . .
Serpentes uo . . . . . . . arum
Delphinasque mouet carmen amantes.
Haec membris numeros inserit aptos
Gignens ex anima et corpore motum,
Ex motu sonitum, uocis alumnum.
Hinc dicta est proprie uox animantum,
Quodcumque eloquimur, uiribus uti
Sentis harmoniae pulsibus imis.
Nam terris animae dum uenientes
Funduntur, simul est haec mediatrix
Ipsarum, influere musica iussa.
Motus et numeros haec rationis
Affectusque regens temperat omnes.
Quae res est populis debita cunctis.
Hanc tradunt animae foedere quodam
Nexam corporibus tibia, duros
Quod mollire animos rite probatur.
Hac dicunt habitum saepe triumphum,
Dum quosdam citharae, tibia quosdam
Accendit . . . . . . . . . . . .
Quin et cor . . . . . . . . .
Hac quidam . . . . . . . .

---

*V. 13—18 toti deleti.* 18 C *sive* G . . . . sto? 24 hinc *in ras.* 26 armoniæ. 28 *fuit* meditatrix. *38—59 reliquiae in misello panno f. 48 scriptae sunt.*

Legesque et recit . . . . . . . . . . . .
Haec mentes met . . . . . . . . . . . .
Nam cum olim fremer . . . . . . . . .
Sollers inhibuit . . . . . . . . . . . . .
Lasciue iuuenes hae . . . . . . . . . .
Mandans organicis psal . . . . . . . .
Morbos corporeos . . . . . . . . . . . .
Pondus uulneribus . . . . . . . . . . .
Cantandoque febrem . . . . . . . . . .
Hac Thales docuit . . . . . . . . . . .
Dulcedo ut scia . . . . . . . . . . . . .
Quondam lym . . . . . . . . . . . . . .
Aegrorum a . . . . . . . . . . . . . . .
Pensantu . . . . . . . . . . . . . . . .
Agreste . . . . . . . . . . . . . . . . .
Captari . . . . . . . . . . . . . . . . .
Dum fi . . . . . . . . . . . . . . . . .
Se . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
N . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

* * *

Partiturque son . . . . . . . . . . . .
Quos symphon . . . . . . . . . . . . .
Ter quinosque t . . . . . . . . . . . .
Tum legem generum . . . . . . . . .
Hinc pressat grauit . . . . . . . . . .
Istud congruit hic . . . . . . . . . . .
Hic maius resonat hi . . . . . . . . .

---

V. 51 ut *in ras.* 57 dum *in ras. Inter v. 59 et 60 tota pagina f. 48 versa periit versuum XXVI: accedunt f. 48ª versus quattuor postremi, quorum et ipsorum hodie nec vestigium nec vola apparet. 60—79 in f. 49ª leguntur valde truncati.*

Sunt et composita suntque . . . .
Sunt incomposito iure c . . . . . .
Sunt quaedam, quibus est uis ratio[nis,
Quaedam hac lege carent, consona quaeda[m,
Quaedam dissimili uoce resultant.
Sunt aequalia ceu ponderis aeq[ui
Discurrentia quae per tr . . . . . .
Quaedam spissa c . . . . . . . . . .
Quaedam rar . . . . . . . . . . . . .
Haec nunc . . . . . . . . . . . . . .
Pensa . . . . . . . . . . . . . . .
Hinc . . . . . . . . . . . . . . . . .
I . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

* * *

## XVIII.

# [DE ASTRONOMIA.]

* * *

Altera fert . . . . . .
Siderum curs . . . . . .
Caelicae lucent . . . . . .
  Pluribus actae.

---

V. 79 I *vel* L. *In f. 49 parte versa non nisi haec frustula leguntur aliquot versuum clausularum:* im | . . . . . . | micat decenter | [ru]tilans nitore | s p[er]omnes.

XVIII. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f.* $50^{a}$.

*Carminis mutilati initium iam in f.* $49^{b}$ *scriptum fuisse atque plura etiam excidisse inde patet, quod is, quem nunc dixi versum primum, in summa f.* $50^{a}$ *linea positus et ipse recto sententiarum nexu caret.*

Metiens haec uirgo po . . . . . .
Quattuor dat materiis . . . .
Edocens mundum spatio glob . . . .
Ordine sphaerae.

Quae sui terram medio uel imo
Continens ambit ratione cursus,
Raptibus caeli quoque circulari
Cardine claudens.

Ducitur circum species propinqua,
Noscitur quae materies aquarum:
Aëris post hanc sequitur: iugatur
Ignis eidem.

Inde iam post aetherei nitores
Aduolant, circum radians micat sol
Ipse cum luna uehiturque circa
Signifer orbis.

Ambiens cursus perhibetur illic
Extimus duci neque tectus ullis
Siderum formis ideoque Graecis
Dictus anastros.

Hinc polos axem quoque circulosque
Annotans diuersa docere uitat
. . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . .

V. 6 dat *in ras.* 7 edocens, n *in ras.* 8 spheræ, h *eras.* 16 ignis] *ante hoc vocabulum aliquid erasum.* 17 inde *in ras.* post *in ras.* 19 ipse *in ras.* circa] a *in ras.* 22 extimus duci *in ras.* 23 ideoque *in ras.* grecis. 26 uitat *in ras.* *27—29 toti hausti.*

. . . . . . . . . . . . .
Circulos . . . . . . . . .
Quinque coluros qu . . . . . . . .
  Nomina tradit.

Diuidensque interstitiis . . . . . . gnat,
Transeant quae signa locumue signi
Quem secent, unde incipiant, locentur
  L . . . . . am

. . . tat triginta simulque quinque
Signa, non errantia quae uocantur,
Ambitus quae signiferi iacentis
  Segregat inter.

Circulo quo uel spatio residant
Signa, monstrato memoratur horum
Exitus casusque, quibus quod ortis
  Occidat astrum.

Tum moras ortus obitusque pensat,
Recta quae transuersaue signa surgant,
Tarda quae natu, citiora casu,
  Obuia quae sint.

Ut uices constat uariare noctes
Ac dies longis spatiis uel artis
Lege signorum, duodena solis
  Quae secat orbis.

Tum planetar . . . . . .
Vel planonta . . . . .

---

*V. 30, 31 ex parte deleti.* 33 interstitiis] intersti *in ras.* 35 ocentur *in ras.* 36 . . . . am] quaenam *fuisse videtur.* 35 uoca$^{n}$tur. 43 exitus *in ras.* *53—58 ex parte deleti.*

Nos in errore . . . . . .
  Nec tamen es . . .

Nominum causae re . . . . . .
Cursuum nec non ua . . . . . eatus,
Quos agunt mundo sociae suisue
  Motibus actae.

Ex quibus quaedam statione torpent
Et reuertentes faciunt recursus.
Sunt, sui quae continuo mouentur
  Ordine cursus.

Sunt, iubar quarum uicibus recedit;
Nesciunt quaedam quoque lucis umbram,
Sunt humum quae circum eunt; quibusdam
  Non datur istud.

Omnibus cunctae loca sed diebus,
Circulos mutant quoque uel meatus
Cursuum, quorum numerantur orbes
  Atque notantur.

Quae citis, quae tardigradis pererrant
Cursibus mundum spatioue quo sint
Circuli uel quo superent easdem
  Quis peraguntur.

Inde iam lunae coitus fatendo
Digerit, cur lumen huic per horas
. . . . . . . . . . . . .
  . . . . . .

V. 56 nec tamen *in ras.* 57 re . . .] s *sequi videtur.* 58 ua . . . . . . . . atus] *conicio* uarii meatus. 60 *fuit* montibus. 61 quibus *in ras.* 78 huic *in ras.* *79—83 aut toti aut ex parte perierunt.*

Qu . . . . . . . . . faciat se . . . .
Quot s . . . lumen cumulet . . . .
Partium quot sit spatium s . . . .
  Commeat orbis,

Mense quo solem repetat sub ipsa
Parte, qua dimisit eum uel orbe
Siderum concordia cum planetis
  Quem facit annum.

Deficit qua lege uel ipsa uel sol
Nominum causas uarians meatu,
Quae capit sursum gradiens uel Austrum
  Prona reuisens.

Solis ex cursus gemino uenire
Proditur motu proprio uel illo
Voluitur quo mundus et hinc diurnos
  Transit in orbes.

Circulos immutat eo diebus
Omnibus, qui dimidio sub anno
Solis ascensu numerantur ipsis
  Hincque recedit.

Binaque hemisphaeria tum notantur
Utque sol disponere comprobatur
Quattuor his tempora, quis decorans
  Temperat annum.

Noctium crem . . . . . . . .
Partibus mun . . . . .

---

V. 82 s . . .] *fort.* suis. 86 orbe *in ras.* 93 ex, x *in ras.* 97 eo *in ras.* 98 dimidio] o *in ras.* sub *in ras.* 99 ipsis] *suprascr.* s (= scilicet) circulis. 101 hemisperia. *105—109 ex parte deleti.*

Disputans ut se . . . . . .
  Noxque diesque.

Tum planetarum re . . . . . . atus
Ortus, occasus, statio, regressus,
Circuli cursus superi uel imi
  Rite librantur.

## XIX.

## DE GEOMETRIA.

Artis praepositae breui notatu
Digestis titulis sagacis huius
Germanam geometricam sequamur
Insignem radio, rotunditate
Cum sphaerae solidae peploque comptam
Laeuorsum uario nitore picto.
Haec tritas peragratione uectans
Telluris crepidas ualens uiatrix
Mundo subsimilis decore fertur
Prae formis, numeris, modis, figuris,
Mensuris uariis, libris, talentis,
Terrarum spatiis, poli marisque,
Astrorum radiis, globis uiisque,

V. 110 regressus] . . . . ssus: *sed adest* g *litterae pars inferior.*

XIX. *Cod. Bern. 358 s. IX—X f. 52*[a].

V. 5 sperae. 5 comptam *in ras.* 6 leuor sum. 7 peragratione *in ras.* 10 prae *in ras.*

Quae puncto capit inchoamen imo
In ductus gradiensque linearum
Exit multiplices ac altitudo
His crescit trahiturque longitudo.
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . planitieue . . . .
. . . . . . . . . exacuuntur . . . .
. . . . u]ariantur et fig[urae]
. . py]ramidis cybi cylindri
. . circumiens humum locatam
In mundi medio modis pererrat
Cen . . . . . quinque secans ligansque zonis
Bi . . . . x his animalibus terendae,
T . . . . . . . inhabitabiles feruntur.
[Haec longum stadiis humique latum
M . . itur ueterum labore fulta
. . . . . . . . partes etiam sequestrat orbis
. . . . . oque digerit meatu
. . . . . . Asiam Africamque iungens
. . . . . . . notat caput fluenta
Ga]ditana sali sequentis ortum,
T]yrrheni sita qua decora tellus
Et Hispania frugibus uirisque,
Quam flumen dat Hiberiam uocari.
Cuius Baetica pars citata fertur

*V. 18—20 toti deleti; 21—25 ex parte.* 27 Cen . . . .] *videtur* centrum *scribendum esse.* 28 Bi . . . x] *leg.* binae ex terendae] *fuit* terrendae. 31 M . . itur] *fort.* metitur ueterem, *corr.* 34 iu$^{n}$gens. 35 . . . . notat] *praecedere videtur* . . . rone. 37 .irreni 39 hyberiam. 40 beth ica.

Partis nomen habentque Lusitani.
Hanc ditat Tagus aureis harenis.
M]onstrat hinc Aquitaniam patere . . . .

* * *

---

XX.

## VERSVS DE ADVENTV DOMINI.

Conditor alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Christe, redemptor omnium,
Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu
Mortis perire saeculum
Saluasti mundum languidum
Donans reis remedium.

Vergente mundi uespere
Tuti sponsus de thalamo
Egressus honestissima
Virginis matris clausula,

---

V. 43 patere] *haec f.* $52^{b}$ *continentur; f. 53, in quo olim carminis finis legebatur, totum fere deletum est, ut non nisi versuum litterae initiales hae extent:* I | Q | A | C | P | Iu | Tun | Mul | Inst | Regn | Agre | Ister | Notum | Ciclo | Diues | Iu | Fimo | Sic | Cla . . .; *in altera panni pagina nil scriptum est.*

XX. *Cod. Bern. 455 s. X f.* $1^{a}$.

V. 4 praeces. 6 seculum. 9 uesperet uti. 11 $^{in}$egressus onestissima.

Cuius forti potentiae
Genu flectentes omnia
Caelestia, terrestria
Fatentur nutu subdita.

Occasum sol custodiens,
Luna pallorem retinens,
Candor in astris relucens
Certos obseruant limites.

Te deprecamur, hagie,
Venture iudex saeculi,
Conserua nos in tempore
Noctis a telo perfidi.

Laus, honor, uirtus, gloria
Deo patri et filio
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula.

## XXI.

## VERSVS DE NATALI DOMINI.

Veni, redemptor gentium,
Ostende partum uirginis,
Miretur omne saeculum
Talis decet partus dei.

---

V. 20 obseruant] a *in ras.* 21 agiae, a *del.* 22 uenturae. 24 ac telo, *corr.* a t. 28 secula.

XXI. *Cod. Bern. 455* s. X *f.* $1^a$.

V. 3 seculum. 4 partus din̄.

Non ex uirili semine,
Sed mystico spiramine
Verbum dei factum est caro
Fructusque uentris floruit.

Aluus tumenit uirginis,
Claustra pudoris permanent,
Vexilla uirtutum micant,
Versatur in templo deus.

Procedens e thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminae gigans substantiae
Alacris ut currat uiam.

Egressus eius a patre,
Regressus eius ad patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem dei.

Aequalis aeterno patri
Carnis trophaeo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.

Praesepe iam fulget tuum,
Lumenque nox spirat nouum,
Quod nulla nox interpolet
Fideque iugi luceat!

---

V. 6 misti cospiramine. 13 et halamo. 15 gemine. 22 tropheo.

XXII.

## ITEM ALIVD.

A solis ortus cardine
Adusque terrae limitem
Christum canamus principem
Natum Maria uirgine.

Beatus auctor saeculi
Seruile corpus induit,
Ut carne carnem liberans
Non perderet, quod condidit.

Clausa parentis uiscera
Caelestis intrat gratia,
Venter puellae baiulat,
Secreta quae non nouerat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit dei,
Intacta nesciens uirum
Verbo concepit filium.

Enixa est puerpera,
Quem Gabrihel praedixerat,
Quem matris aluo gestiens
Clausus Iohannes senserat.

---

XXII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 1ᵇ. Praescriptum* ITEM ALIVM. *Est hymnus abecedarius a littera A usque ad G.*

V. 1 ortus, *corr.* ortu terre. 3 Christum] *fuit* Christo principem] *fuit* principi. 4 Maria uirgine, *corr.* Mariae uirginis. 7 car$^{ne}$. 11 puella, *corr.* puellae.

Faeno iacere pertulit,
Praesepe non abhorruit,
Paruoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus caelestium
Et angeli cantant deum,
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.

---

XXIII.

## VERSVS IN EPIPHANIA.

Hostis Herodes impie,
Christum uenire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat caelestia!

Ibant magi, qua uiderant
Stellam sequentes praeuiam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lauacrum puri gurgitis
Caelestis agnus attigit,
Peccata, quae non detulit,
Nos abluendo sustulit.

---

V. 22 abhorruit] oborruit. 27 palamque] *fuit* psalmetque.

XXIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 2*[a].

V. 1 impiae, *corr.* 5 qua uenerant, *suprascr. m. II* qua uiderant. 12 peccataque.

Nouum genus potentiae:
Aqua erubescunt hydriae
Vinumque iussa fundere
Mutauit unda originem.
Laus honor uirtus gloria.

---

XXIV.

## VERSVS IN PVRIFICATIONE SANCTAE MARIAE.

Quod chorus uatum uenerandus olim
Spiritu sancto cecinit repletus,
In dei factum genetrice constat
Esse Maria.

Haec deum caeli dominumque terrae
Virgo concepit peperitque uirgo
Atque post partum meruit manere
Inuiolata.

Quem senex iustus Symeon in ulnis
In domo sumpsit domini, gauisus
Ob quod optatum proprio uideret
Lumine Christum.

Tu libens, uotis petimus precantum,
Regis aeterni genetrix faueto,
Clara quae celsi renitens Olympi
Regna petisti.

---

V. 14 hidriae.
XXIV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 2*[b].
V. 13 praecantum. 15 olimphi.

Sit deo nostro decus et potestas,
Sit salus perpes, sit honor perennis,
Qui poli summa residet in arce,
Trinus et imus.

---

## XXV.

## ITEM ALIVD.

Fit porta Christi peruia,
Referta plena gratia,
Transitque rex et permanet,
Clausa at fuit per saecula.

Genus superni nominis
Processit aula uirginis,
Sponsus, redemptor, conditor,
Suae gigans ecclesiae.

Honor matris et gaudium,
Immensa spes credentium
Per atrae mortis pocula
Resoluit nostra crimina.

Deo patri sit gloria
Eiusque soli filio
Cum spiritu paracleto
Et nunc et in perpetuum.

---

V. 20 imus] *additum* amen.
XXV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 2*[b]*:* ITEM ALIVM.
V. 15 paraclito. 16 perpetuum] *additum* amen.

## XXVI.

# VERSVS DE QVADRAGESIMA.

Dei fide, qua uiuimus,
Spe perenni, qua credimus,
Per caritatis gratiam
Christo canamus gloriam.

Qui ductus hora tertia
Ad passionis ostia
Cruci ferens suspendia,
Ouem reduxit perditam.

Precentur ergo subditi
Redemptione liberi,
Ut eruat a saeculo,
Quos soluit a chirographo.

Meridie rorandum est,
Christus, qui deprecandus est,
Ut iubeat nos edere
De suo sancto corpore.

Ut ille sit laudabilis
In uniuersis populis,
Qui est caelorum dominus
Qui sedet in altissimis.

---

XXVI. *Cod. Bern. 455 s. X. f. 3ª. Hoc carmen alia, quam cetera, manu, sed et ipsa saec. X scriptum est super alio, quod totum erasum est.*

V. 2 perhenni. 5 tercia. 6 hostia. 12 a circographo, *in marg.* ad quartam. 19 est] se.

Detque nobis auxilium
Per angelos mirabiles,
Qui semper nos custodiant
In omni uita saeculi.

Perfecto trino numero
Ternis horarum terminis
Laudes canentes debitas
Nonam dicentes psallimus.

Sacrum dei mysterium
Puro tenentes pectore
Petri magistri regulam
Signo salutis proditam.

Et nos psalmamus spiritum
Adhaerentes apostoli,
Qui plantas habent debiles,
Christi uirtutem diligant.

Gloria tibi, trinitas,
Aequalis una deitas
Et ante omnia saecula
Et nunc et in perpetuum.

Sic ter quaternis trahitur
Horis dies ad uesperum
Occasum sol pronuntians
Noctis redire tempora.

---

V. 25 Perfecto] *in marg.* ad nonam. 28 salplimus. 29 misterium. 33 salplamus. 34 adherentes. 38 equalis. 40 perpetuum] *additum* amen. 41 Sic ter] *in marg.* Ad uesperas. 42 oris.

Nos ergo signo domini
Tutemus nostra pectora,
Ne serpens ille callidus
Intrandi tentet aditus.

Sed nec ciborum crapula
Tandem distendat corpora,
Ne cui per somnum anima
Ludificata polluat.

Sed armis pudicitiae
Mens fulta uigil libere
Sobrietate comite
Hostem repellat inprobum.

---

XXVII.

## VERSVS DE PASCHA.

Ad cenam agni prouidi
Ex stolis albis candidi
Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.

Cuius sacrum corpusculum
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustando uiuimus deo.

---

V. 45 signo no. 46 pecctora. 48 temtet. 50 tamdem distemdat. 51 anima. 52 ludificatas pulluat. 53 pudiciciæ.
XXVII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 3* [b].

Protecti paschae uespere
A deuastante angelo,
Erepti de durissimo
Pharaonis imperio.

Iam pascha nostrum Christus est,
Qui immolatus agnus est,
Sinceritatis azyma
Caro eius oblata est.

O uera digna hostia,
Per quem fracta sunt Tartara,
Redempta plebs captiuata,
Reddita uitae praemia.

Cum surgit Christus tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyrannum tradens uinculo
Et reserans paradisum.

Quaesumus, auctor omnium,
In hoc paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defendas populum.

---

## XXVIII.

* * *

. . . . . petens
Incorrupta claritas.

---

V. 15 azima *in ras.* 18 sunt *in ras.* tarthara. 22 baratro. 23 tradens *in ras.* 28 populum] *additum:* gloria tibi domine.

XXVIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 5ª. Carminis initium olim in praecedentis folii parte versa scriptum nunc periit, quoniam tota illa pagina eradendo extincta est.*

Omnes ergo recreati
Victimis paschalibus
Exultemus sociati
Gaudiis regalibus,
In quibus sub Christo pollet
Orbis amor Karolus.

Omnis aetas atque sexus
Dicat uoce consona:
Viue, uale, rex percelse,
Plurima per tempora.
Christus tibi, quem adoras,
Cuncta praestet prospera.

Gloria aeterno patri,
Honor, laus sit filio,
Spiritui procedenti
Virtus in imperio.
Trina sit potestas semper
In uno consilio.

XXIX.

## VERSVS DE ASCENSIONE DOMINI.

Aeterne rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Quo mors soluta deperit,
Datur triumphus gratiae.

V. 14 prestet. 18 uirtus imperio.
XXIX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 5a*.

Scandens tribunal dexterae
Patris potestas omnium
Conlata est, Iesu, caelitus,
Quae non erat humanitus.

Ut trina rerum machina
Caelestium, terrestrium
Et infernorum condita
Flectat genu iam subdita.

Tremunt uidentes angeli
Versam uicem mortalium,
Culpat caro, purgat caro,
Regnat deus dei caro.

Te, Christe, nostrum gaudium,
Manens Olympo praeditum,
Mundi regis qui fabricam
Mundana uincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus,
Ignosce culpis omnibus
Et corda sursum subleua
Ad te superna gratia.

Ut cum rubente coeperis
Clarere nube iudicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

V. 18 olimpo. 21 hinc te praecantes qs. 25 rubente ceperis *in ras.* 26 clare renube. 27 repellas *in ras.*

## XXX.

# VERSVS DE SANCTO PETRO ET PAVLO.

Aurea luce et decore
Roseo, lux, lucis omne
Perfudisti saeculum
Decorans caelos inclyto
Martyrio: haec sacra dies,
Quae dat reis ueniam.

Ianitor caeli, doctor orbis, pariter
Iudices saecli, uera mundi lumina,
Per crucem alter, alter ense triumphans
Vitae senatum laureati possident,

Iam bone pastor, Petre clemens, accipe
Vota precantum et peccati uincula
Resolue tibi potestate tradita,
Qua cunctis caelum uerbo claudis, aperis.

Doctor egregie, Paule, mores instrue
Et mente polum nos transferre satage,
Donec perfectum largiatur plenius,
Euacuato quod ex parte gemimus.

Oliuae binae pietatis
Unicae fide deuotos
Spe robustos maxime,

---

XXX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 6*ª.

V. 3 saeculum *m. II additum.* 5 die. 8 secli. 10 uite. 12 praecantum. 13 resoluet ibi. 15 egregie, e *m. II adiectum.* 21 maxime] e *in ras.*

Fonte repletos caritatis
Gemine post mortem carnis
Impetrate uiuere.

Sit trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas atque iubilatio,
In unitate cui manet imperium
Extunc et modo per aeterna saecula.

---

XXXI.

## VERSVS DE SANCTO GERMANO.

Iste confessor domini sacratus,
Festa plebs cuius celebrat per orbem,
Hodie laetus meruit secreta
Scandere caeli.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit et quietus,
Vita dum praesens uegetauit eius
Corporis artus.

Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Restituuntur.

Unde nunc noster chorus in honores
Ipsius hymnum canat hunc libenter

V. 25 *fuit* sempiternae. 28 saecula] *additum* amen.
XXXI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 6*[b].
V. 2 caelebrat. 13 honores, s *in ras.* 14 canat hymnum.

Ut piis eius meritis iuuemur
  Omne per aeuum.

Sit salus illi, decus atque uirtus,
Qui supra caeli residens cacumen
Totius mundi machinam gubernat
  Trinus et unus.

---

XXXII.

## VERSVS DE SANCTO DIONYSIO.

  Caeli ciues adplaudite
Mundi iocundo lumini,
Quo inlustratur caelitus
Diei huius gratia.

  Praecelsa fides martyris
Sacrique uita antistitis
Dionysii nobilis
Hodie palmam suscepit.

  Areopago Athenae
Regis sumpsit diadema,
Caelestis gemmam fulgidam,
Dionysium sophistam,

  Paulo docente speculum
Habet fides fidelium
Et spiculum gentilitas,
Quem ante murum nouerat.

---

V. 20 unus] *additum* amen.
XXXII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 7*[a]. *In titulo:* DIONISIO.
V. 7 dionisii, *sic semper.* 9 ariopago.

Miro clarescens dogmate
Inluminauit Graeciam
Et inclitus hinc pontifex
Urbem Romanam adiit.

Clemente Romae praesule
Iubente uenit Galliam,
Cui iubar solis splendidi
Inluxit signis famine.

Tandem repulso daemone,
Constructo sacro opere,
Poenis affectus maximis
Caesa ceruice caelum petit.

Aue, pater, scandens polum,
Aue, pie, uisens solum,
Annua festi munera
Tua sacrans praesentia.

Offer, sacerdos optime,
Gemitus nostros et preces,
Firma fidem, martyr dei,
Moresque nostros corrige.

Ope guberna fragiles
In mundi huius pelago
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.

Quo sine fine gloria
Deo patri cum filio,
Una cum sancto spiritu,
Tecum canamus perpetim.

---

V. 18 greciam. 25 daemonæ. 27 paenis. 34 gemitus *in ras.* praeces. 44 perpetim] *additum* amen.

## XXXIII.

# VERSVS DE VIRGINIBVS.

Virginis proles opifexque matris,
Virgo quem gessit peperitque uirgo,
Virginis festum canimus trophaeum,
  Accipe uotum.

Haec tua uirgo duplici beata
Sorte dum gessit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruento
  Corpore saeclum.

Inde nec mortem nec amica mortis
Saeua poenarum genera pauescens
Sanguine fuso meruit sacratum
  Scandere caelum.

Huius obtentu deus alme, nostris
Parce iam culpis uitia remittens,
Quo tibi puri resonemus almum
  Pectoris hymnum.

Gloria patri genitaeque proli
Et tibi compar utriusque semper,
Spiritus alme, deus unus omni
  Tempore saecli.

---

XXXIII. *Cod. Bern, 455 s. X f. 7*[b].
V. 3 tropheum. 8 seclum. 20 saeculi amen.

## XXXIV.

# VERSVS IN NATALE APOSTOLORVM.

Apostolorum principem,
Celsam columnam ecclesiae,
Fortem petram fundamine,
Petrum fideles concrepent.

Hic pastor et uicarius
Altissimi praelatus est,
Bariona non promerens
Et porta caeli factus est.

Clarus sacro praeconio,
Princeps caputque principum,
Dignus, cui dans gloriam
Pedes redemptor abluit.

Qui puppe lapsus pendulo
Pontum premit uestigio
Et dorsa per liquentia
Fidus fide perambulat.

Tactu salubri arentia
Resuscitans cadauera,
Et umbra quotquot attigit
Aegros, medelam contulit.

Virtute tanta nobilis,
Ubique primus enitens
Romae cathedrae praesul est
Et arce caeli consul est.

---

XXXIV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 8*[a].
V. 12 ablui. 19 umbra quae quod attigit egros. 23 rome cathedre.

## XXXV.

# ITEM ALIVD.

Apostolorum passio
Diem sacrauit saeculi
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam praeferens.

Coniunxit aequales uiros
Cruor triumphalis necis,
Deum secuti praesulem
Christi coronauit fides.

Primus Petrus apostolus
Nec Paulus inpar gratiae,
Electionis uas sacrae
Petri adaequauit fidem.

Verso crucis uestigio
Simon honorem dans deo
Suspensus ascendit dati
Non inmemor oraculi.

Praecinctus, ut dictum est, senex
Eleuatus ab altero,
Quo nollet, iuit, sed uolens
Mortem subegit asperam.

Prodire quis mundum putet,
Concurrere plebem poli,
Electa, gentium caput,
Fides, magistra gentium?

---

XXXV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 8*[b]. ITEM ALIVM. V. 7 presulem. 17 senes. 19 ibit. 24 gentium. Sit laus.

XXXVI.

## VERSVS IN NATALE SANCTI BENEDICTI.

Christe, sanctorum decus atque uirtus,
Vita et forma, uia, lux et auctor,
Supplicum uota pariterque hymnum
  Suscipe clemens.

Qui tuum dudum Benedictum ad te
Adtrahens mire segregasti mundo,
Ut probra mundi reprobare discens
  Te sequeretur.

Cuius deuotum animum pueri
Gratia prostas fidei ualere,
Qua ualens mire precibus peregit
  Mente fideli.

Deinde extendens pedem in remotis
Ardua scandit cruciare malens
Corporis artus iuuenilis ardens
  Castus amore.

Inbuit posthinc homines beatos
Regulis artis animos retundi
Et iugo semper domini polorum
  Subdere colla.

E quibus Maurus, sedulus minister,
Gurgite ductum placidum puerum

---

XXXVI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 8*$^{b}$.

V. 6 mundum, *corr.* 7 prob$^{r}$a. 11 praecibus. 14 mellens, *corr.* mallens. 16 *fuit* casto. 17 *fuit* beatus. 18 *fuit* regule artus. 20 *fuit* subsedere.

Obsequens patri latice leuatum
  Aequore traxit.

In quibus ipse uia rite clarens
Actibus sanctis docet ammonendo,
Sic dei iussis libere parendo
  Mente subesse.

Huius, o Christe, meritis, precamur,
Arceas iram, tribuas fauorem,
Gratiam praestes ueniamque nobis,
  Mitis ad omnes.

Praebe, oramus, deus alme rector,
Ut fides nostra uitiis resistat
Atque uirtutum studiis ministret
  Pectore puro.

Gloriam patri resonemus omnes
Et tibi, Christe, genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
  Spiritus exstat.

---

## XXXVII.

## VERSVS DE MARTYRIBVS.

Aeterna Christi munera
Et martyrum uictorias

V. 23 *fuit* leuatus. 25 *fuit* recte. *v. 29 seq. usque ad finem alia manu scripti sunt priori scriptura eradendo sublata.* 29 praecamur. 31 prestes. 33 prebe. 34 uiciis. 36 rectore. 40 exstat. amen.

XXXVII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 9*[b].

V. 2 et martyrum] *suprascr. m. II.* apostolorum.

Laudes ferentes debitas
Laeti canamus mentibus,

Ecclesiarum principes,
Belli triumphales duces,
Caelestis aulae milites
Et uera mundi lumina.

Terrore uicto saeculi
Poenisque spretis corporis
Mortis sacrae conpendio
Vitam beatam possident.

Traduntur igni martyres
Et bestiarum dentibus,
Armata saeuit ungulis
Tortoris insani manus.

Nudata pendent uiscera,
Sanguis sacratus funditur,
Sed permanent immobiles
Vitae perennis gratia.

Deuota sanctorum fides,
Inuicta spes credentium,
Perfecta Christi caritas
Mundi triumphat principes.

In his paterna gloria,
In his uoluntas spiritus,
Exultat in his filius,
Caelum repletur gaudio.

---

V. 3 ferentes] *suprascr. m. II* canentes. 4 leti. 7 aule. 10 paenisque. 11 sacre. 15 seuit. 16 in sani. 17 pedent. 19 sed] *fuit* sem. 20 uite perhennis. 27 filius *supra lineam.*

Te nunc redemptor quaesumus,
Ut martyrum consortio
Jungas precantes seruulos
In sempiterna saecula.

---

XXXVIII.

## ITEM ALIVD.

Rex gloriose martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad caelestia.

Aurem benignam protinus
Adpone nostris uocibus,
Trophaea sacra pangimus,
Ignoce, quod deliquimus.

Tu uincis in martyribus
Parcendo confessoribus,
Tu uince nostra crimina
Donando indulgentiam.

---

V. 29 quaesumus] qs̃. 30 martyrum] *suprascr.* apostolorum. 31 *fuit* seruulis. 32 secula. amen.

XXXVIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 10*[a]. ITEM ALIVM.

V. 2 coronae *fuisse videtur.* 3 respuentes] *fuit* dispuentes *quod fortasse tenendum.* 3 terrena, *corr. terrea.* 7 trophea

## XXXIX.

# VERSVS DE VNO MARTYRE.

Martyr dei, qui unicum
Petris sequendo filium
Vic[tor] triumphans hostibus,
Victor fruens cael[estibus].

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
. . . . mali contagium
Vitae remouens taedi[um].

Soluta sunt iam uincula
Tui sacrati corp[oris]
. . . . nos solue uinculis
Saecli amore filii.

---

## XL.

# ITEM ALIVD.

Deus tuorum militum
Sors et . . . . . . . . .
. . . . canentis martyris
. . . . . . . . . . . . . .

Hic nempe mundi gaudia
Et blandimenta noxia
Caduca rite deputans
Peruenit ad caelestia.

---

XXXIX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 10ª. Folii pars periit; quae uncinis circumscripta sunt, suppleui.*

V. 7 contagium, *corr.* contagia. 8 tedii... 11 uinclis.

XL. *Cod. Bern. 455 s. X f. 10ᵇ:* ITEM ALIVM.

*V. 2—4 ex parte deleti.*

Poenas cucurrit fortiter
Et sustulit uiriliter,
Pro te refundens sanguinem
Aeterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,
In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam seruulis.

---

## XLI.

## VERSVS DE CONFESSORIBVS.

Jesu, redemptor omnium,
Perpes corona praesulum,
In hac die clementius
Nostris faueto uocibus.

. . . [sa]crique nominis
Confessor almus claruit
. . . . . . [cel]ebrat annua
Deuota plebs solemnia.

. . . . [mun]di gaudia
Huius caduca respuens
. . . . . . . [ca]elestibus
Laetus potitur praemiis.

---

V. 13 praecatu. 16 seruulis. Sit laus.

XLI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 10*ᵇ. *Folii pars abscissa est. Voculis neumae superpositae sunt.*

V. 11 . . elestibus.

. . . . . . . . annue
Nobis sequi uestigia
. . . . . . . . . . . lis
Dimitte noxam criminis.

. . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . [p]atrique gloria
. . . . . . . . . . . . . . . .
. . . et in perpetuum.

---

## XLII.

Summe confessor sacer et sacerdos,
Temporum meta rota torquet anni,
Tempus est nobis tibi consecratum
  Pangere festum.

Praesul, insignis meritisque clara
Te sacra cleri populique turba
Corde prostrato pietate poscit
  Vernula patrem.

Vota cunctorum releuans in aula
Regis aeterni foueas utrumque
Ordinem, cuius pius extitisti
  Pastor in urbe.

---

V. 20 im perpetuum.

XLII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 11*[a]. *Titulus una cum ima f. 10 parte periit. Sed quia hic quoque de confessore agitur, nil nisi* ITEM ALIVD *praescriptum fuisse videtur.*

V. 5 presul.

Questibus cunctis referunt gementes
Gesta culparum lacrimisque pandunt
Pessimae mentis animique nigri
Crimine dira.

Dignaque poena reuocat in hora,
Nostra cum dira miseros perurget
Pandere mundo uariante facta
Caelitus ira.

---

## XLIII.

## VERSVS IN NATALE OMNIVM SANCTORVM.

Sanctorum meritis inclita gaudia
Pangamus, socii, gestaque fortia.
Nam gliscit animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit,
Ipsum nam sterili flore per aridum
Spreuere penitus teque secuti sunt,
Rex Christe bone, caelitus.

Hi pro te Furias atque ferocium
Calcarunt hominum saeuaque uerbera,
Cessit his lacerans fortiter ungulas
Nec arsit penetralia.

---

V. 15 pessime animeque. 17 paena in ora. 20 ira] *sequitur:* Gloria Christo patulo canamus.

XLIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 11*[a].

V. 7 paenitus. 10 *fuit* humanum suaque. 12 necarsit.

Caeduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia
Conseruat patientiam.

Quae nox, quae poterit lingua retexere,
Quae tu martyribus munera praeparas?
Rubri nam fluido sanguine laureis
Ditantur bene fulgidis.

Te trina deitas unaque poscimus,
Ut culpas abluas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, nos puoque gloria
Per cuncta tibi saecula.

---

## XLIV.

# VERSVS DE VIRGINIBVS.

Jesu, corona uirginum,
Quem mater illa concepit,
Quae sola uirgo parturit,
Haec uota clemens accipe.

Qui pascis inter lilia,
Saeptus choreis uirginum,
Sponsus decorans gloria
Sponsisque reddens praemia.

---

V. 13 ceduntur. 24 saecula amen.
XLIV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 11*[b].
V. 6 septus coreis.

Quocumque pergis, uirgines
Secuntur atque laudibus
Post te canentes cursitant
Hymnosque dulces personant.

Te . . . . precamur largius,
Nostris adauge mentibus
Nescire prorsus omnia
Corruptionis uulnera.

---

## XLV.

Tibi, Christe, splendor patris,
Vita, uirtus cordium,
In conspectu angelorum
Votis, uoce psallimus,
Alternatum concrepando
Melos damus uocibus.

Collaudamus uenerantes
Omnes caeli milites,
Sed praecipue primat[us]
Caelestis exercitus,
Michaelem in uirtute
Conterentem Zabulon.

Quo custode procul pellens,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici

---

V. 9 *fuit* quotcumque. 11 poste. 12 ymnosque dulcis. 13 Te praecamur.

XLV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 12ª in marg. manu II.*

Mundos corde, corpore,
Paradiso redde tuo
Nos sola clemen[tia].

Gloriam patri m . . . .
Personemus uocibus,
Gloriam canamus Christo,
Gloriam paracleto,
Qui deus trin[us] et unus
Extat ante saecula.

---

XLVI.

## VERSVS IN NATALE SANCTI MICHAHELIS.

Christe, sanctorum decus angelorum,
Rector humani generis et auctor,
Nobis aeternum tribue benignus
Scandere regnum.

Angelum pacis Michahel ad istam
Caelitus mitte, rogitamus, aulam,
Nobis ut crebro ueniente crescant
Prospera cuncta.

Angelus fortis Gabrihel ut hostem
Pellat antiquum, uolitet ab alto,
Saepius templum ueniat et istum
Visere nostrum.

---

V. 19 patri] *quod sequebatur vocabulum evanuit.* 22 paraclyto. 24 saecula amen.

XLVI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 12* [a].

V. 3 tribuæ. 5 angelus, *corr.* angelum sistat, *corr.* ad istam. 8 prospera cuncta] pro, *supplevit m. II.* 9 ut fortem, *suprascr.* hostem *m. II.* 11 sepius.

Angelum nobis, medicum salutis,
Mitte de caelo Raphahel, ut omnes
Sanet aegrotos pariterque nostros
Dirigat actus.

Hic dei nostri genetrix Maria
Totus et nobis chorus angelorum
Semper adsistat, simul et beata
Contio tota.

---

XLVII.

## VERSVS IN DEDICATIONE ECCLESIAE.

Christe, cunctorum dominator alme,
Patris aeterni genitus ab ore,
Supplicum uota pariterque hymnum
Cerne benignus.

Cerne, quod puro deus in honore
Plebs tua supplex resonet in aula,
Annua cuius redeunt colenda
Tempora festa.

Haec domus rite tibi dedicata
Noscitur, in qua populus sacratum
Corpus assumit, uiuit et beati
Sanguinis haustum.

---

V. 13 medicum] *cf. supra. nr. II, 5. III, 3.* 15 egrotos. 20 concio tota] *additum m. II.:* prestet hoc nobis deitas.

XLVII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 12ᵃ. In titulo* ECCL̃E.

V. 3 ymnum. 12 austum.

Hic sacrosancti latices ueternas
Diluunt culpas perimuntque noxas
Chrismate uero, genus ut creetur
  Christicolarum.

Hic salus aegris, medicina fessis,
Lumen orbatis ueniaque nostris
Fertur offensis, timor atque maeror
  Pellitur omnis.

Daemonis saeua perit hic rapina,
Peruicax monstrum pauet et retenta
Corpora linquens fugit in remotas
  Ocius umbras.

Hic locus nempe uocitatur aula
Regis inmensi niueaque caeli
Porta, quae uitae patriam petentes
  Accipit omnes,

Turbo quam nullus quatit aut uagantes
Diruunt uenti penetrantque nimbi,
Non taetris laedit piceas tenebras
  Tartarus horrens.

Quaesumus ergo, deus, ut sereno
Annuas uultu famulos gubernans,
Qui tuo summo celebrant amore
  Gaudia templi.

Nulla nos uitae crucient molesta,
Sint dies laeti placidaeque noctes,
Nullus ex nobis pereunte mundo
  Sentiat ignes.

V. 15 crismate. 17 egris. 19 meror. 21 demonis. 27 portaque uite. 28 omnis. 30 nibi. 31 tetras ledit. 33 q̃s ergo di ut sermo. 37 uite molestas. 38 placideque.

Hic dies, in quo tibi consecratam
Conspicis aram, tribuat perenne
Gaudium nobis, uigeatque longo
Temporis usu.

Gloria summum resonet parentem,
Gloria natum pariterque sanctum
Spiritum, dulci moduletur hymno
Omne per aeuum.

---

## XLVIII.

## AD NOCTVRNOS.

Nocte surgentes uigilemus omnes,
Semper in psalmis meditemur atque
Viribus totis domino canamus
Dulciter hymnos,

Ut pio regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi caeli simul et beate
Ducere uitam.

Praestet hoc nobis deitas beata
Patris et nati pariterque sancti
Spiritus, cui reboamus omni
Gloria mundi.

---

V. 42 perhenne. 43 uige atque. 47 ymno.

XLVIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 13*[a]. *Titulus m. II. additus litteris minusculis.*

V. 4 hymnos] ignos. 6 aula. 7 prestet. 11 *inter* reboamus *et* omni *aliquid erasum.*

XLIX.

Ecce iam noctis tenuatur umbra,
Lucis Aurora rutilans córuscat,
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem,

Ut deus nosmet miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet et nobis pietatem patris
Regna polorum.

---

L.

## VERSVS DE ACCIPITRE ET PAVONE.

Auis haec magna
Ad astra tendit,
Alta sublimes
Aspergens uoces,
Agnum conlaudat,
Auctorem cunctis.

Bonus plasmator
Bene laudetur,
Bona per orbem
Bene formauit,
Bona percomplens
Benigna tegit.

---

XLIX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 13ª. Superscriptum m. II.:* Ad laudes.

V. 6 langorem.

L. *Cod. Bern. 455 s. X f. 13ᵇ. Versibus 1—6 neumae superpositae sunt.*

Contectis plumis
Concussit pennas,
Cauda coruscat
Colore fulgens,
Cantum emittit,
Cunctis praecellit.

Dilatat pauo
Dignis triumphis
Diuersis modis
Duo in rotis,
De paruis membris
Ditior cunctis.

Extrema die
Extinctus sole
Excelsus subens
Euadat male,
Extendens plumis
Euolat summis.

Fortis acceptor,
Firmior pauo
Ferocem siue
Fidus despexit,
Felix inuictus
Firmus permansit.

Gloriam ipsi
Gaudens uicisse,
Girans in circo,
Gestans in plumis,
Gauisus canit
Gloria pompis.

V. 18 precellit. 24 decior. 30 sumis. 32 pauor.

Hic uolatu,
Angeli uultu,
Honesto modo,
Hilari uultu,
Hoc est mirandus
Huius aspectus.

In tempus uiri
Ignis cum floris
Iungunt pennata,
Inuitant pascha,
Inuicem sonant
Ipse et pauo.

Largum plaudunt
Linguis uibrantes,
Liquescet melle,
Longe sonantur
Laudantque patrem
Laeti canentes.

Mirum probatur
Mortua carnis
Multum post tempus
Marcida linquens,
Malique musce
Minime tangit.

Nullusque tempus
Numquam excedit
Nullusque uermis

---

V. 48 aspectu. 49 *an* in tempus ueris, Iris cum floret? 55 plaudent. 56 uibrantis. 58 *an* sonantes? 60 canemus. 64 liquens.

Numquam uoratur,
Nec ullus quidem
Non inuenitur.

Ouum exitus
Oblitum nidi
Ornatus plumis
Oportet cauda,
Obuia cunctis
Offerens bella.

Pulchra est iuncta
Pauone pugna,
Pergunt simul
Pedes uibrantes,
Plagis cruentis
Pectus adtendunt.

Quam pulchri, totus
Quasi platanus,
Qui hoc uiatus
Quem quod gemmatus,
Quod uidens pectus,
Quasi zmaragdus.

Regali ritu
Rutulat pauo
Recto cum digno
Regali cibo
Regali . . .
Regali esso.

Satisque pinguis
Satiat nimis,

V. 74 nidu. 92 rutulet. 95 *post* regali *lacuna est in codice.* 96 esso] *an* esu?

Sapor uel gustus
Satiat pectus
Solusque bonus,
Similis nullus.

Trinitas summa,
Tibi sit gloria,
Tu factor bone,
Tu cunctis uita,
Tantaque magna
Tegis sub astra.

Unumque trinum,
Unus triumphus,
Verus occisus,
Verus aeternus,
Volans ad caelum,
Viuens aeternus.

Christus est natus,
Christus est passus,
Christus in cruce,
Christus se iussit,
Christus in sepulcro,
Christus resurrexit.

---

V. 103 sumat. 108 tegit. 110 triumphis. *v. 115—120 ut alphabeti ratio in hoc carmine ubique seruata retineretur, Christi nomen semper Graeco more* Xpus *scriptum est.* 118 se iussit] *an* decessit?

## LI.

# VERSVS FORTVNATI IN HONORE SANCTAE CRVCIS.

Pange, lingua, gloriosi
Praelium certaminis
Et super crucis trophaeum
Dic triumphum nobile,
Qualiter redemptor orbis
Immolatus uicerit.

De parentis protoplasti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morte morsu corruit,
Ipse lignum tunc notauit,
Damna ligni ut solueret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris
Ars ut artem falleret
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando uenit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris,
Natus orbis conditor
Atque uentre uirginali
Caro factus prodiit.

---

LI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 14*[b]. *In titulo* SČE.

V. 3 tropheum, h *erasa.* 12 dampna. 18 leserat. 24 *fuit* carne.

Vagit infans inter arta
Conditus praesaepia,
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et pedes manusque, crura
Picta stringit fascia.

Lustra sex qui iam peracta,
Tempus implens corporis
Se uolente natus ad hoc
Passioni deditus
Agnus in cruce leuatur,
Immolandus stipite.

Hic aceto fel, harundo
Sputa claui lancea
Mite corpus perforatur,
Sanguis unda profluit,
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lauantur flumine.

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis,
Nulla silua talem profert
Flore, fronde, germine;
Dulce lignum, dulcem clauum.
Dulce pondus sustinens.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa uiscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit natiuitas,
Ut superni membra regis
Mite tendas stipite.

V. 26 praesepia. 30 stricta pingit. 37 a coeto. 54 mitte.

Sola digna tu fuisti
Ferre pretium saeculi
Atque portum praeparare
Nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit
Fusus agni corpore.

LII.

## ITEM VERSVS FORTVNATI AD CHILPERICVM REGEM.

Aspera conditio et sors inreuocabilis horae,
Quam generi humano tristis origo dedit,
Cum suadens coluber proiecit ab ore uenenum,
Morsu et serpentis mors fuit Eua nocens.
Sumpsit ab ipso extunc Adam patre terra dolo-
Et de matre gemens mundus amara capit. [rem
Praeuaricando duo probro damnantur acerbo:
Ille labore dolet, haec generando gemit.
Mors uenit inde uorax transmissa nepotibus ipsis
Heredesque suos tollit origo nocens.
Ecce hoc triste nefas nobis genuere parentes;
Coeperat unde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miserando uulnere caesus
Ac fraterna sibi sarcula membra fodent.

V. 56 praetium seculi. 58 *fuit* naute naufragio.

LII. *Cod. Bern. 455 s. X f.* $15^{b}$.

V. 1 hore. 4 et *punctis subterpositis deletum.* 7 dampnantur. 10 nocens] *suprascr. m. II.* necis. 12 co$^{e}$perat. 13 cesus,

Post quoque sed obiit sub Abel uice redditus is-
Et quamuis rediit, non sine fine fuit. [dem,
Quid Noe memorem laudatum uoce Tonantis,
Quem leuis arca tulit, nunc grauis arua premit.
Sic quoque Sem et Iafeth, iustissima denique pro-
Sancta et progenies tale cucurrit iter. [les
Quid patriarcha Abraham, Isaac, Iacob quoque
Cum de lege necis nemo solutus adest? [dignus,
Melchisedech etiam, domini sacer ore sacerdos,
Iacobque seu geniti sic abiere sui.
Legifer ipse iacet Moyses, Aaronque sacerdos
Alloquiisque dei dignus amicus obit.
Successorque suus, populi dux inclitus, Iesus,
Quos legitis libris, occubuere patres.
Quid Gedeon, Samson uel quisquis in ordine iu-
Mortem sub domino iudice nemo fugit. [dex?
Israhelita potens Dauid rex atque propheta
Est situs in tumulo cum Salomone suo.
Esaias, Danihel, Samuhel Ionasque beatus
Viuens sub pelago stat modo pressus humo.
Princeps claue Petrus, primus quoque dogmate
Quamuis excelsi, corpora terra tegit. [Paulus,
Semine ab humano cui nullus maior habetur
Vir, baptista potens, ipse Iohannes obit.
Enoch Eliasque hoc adhuc expectat uterque,
Qui satus ex homine est, et moriturus erit.
Ipse creator ouans surgens cito Christus ab umbris,
Hic, quia natus homo est, carne sepultus humo.

---

V. 15 sedh obiit reditus, *altera* d *suprascr.* 18 arua] *fuit* arca. 21 uel isaac, uel *punctis del.* 24 Iacob quoque 25 aaronquoque. 30 morti. 36 quamuis celse. 38 obiit. 49 Enoc heliasque. 40 satus] *suprascr.* n = natus, *contra metrum.*

Quis, rogo, non moritur, mortem gustante salute,
Dum pro me uoluit hic mea uita mori?
Dic mihi, quid poterunt Augusti aut culmina re-
Membra creatoris cum iacuere petris? [gum
Brachia non retrahunt fortes neque purpura reges:
Vir quicumque uenit puluere, puluis erit.
Noscimur aequales morimurque aequaliter omnes.
Una ex Adam est mors, Christus et una salus.
Diuersa est merces: funus tamen omnibus unum:
Infantes, iuuenes: sic moriere senes.
Ergo quid hinc facimus, (nunc te rogo, celsa po-
Cum nihili auxilii possumus esse rei? [testas),

---

LIII.

## VERSVS DE IACOB ET IOSEPH.

Tertio in flore mundus
Adhuc cum pubesceret,
In decore iuuentutis
Saeculum pulchresceret
Atque proles subter omnes
Latos caeli cardines
Germinando pullularet
Humana feliciter.

Natus est homo in mundum
Patriarcha nobilis.

---

V. 47 regis. 52 moriere = mortui sunt.

LIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 16*[a].

V. 4 pulcresceret. 5 prole, *in marg.* uel prolis. 6 latus 7 pullularet, *corr.* pulularet.

Abraham dei amicus,
Puer fidelissimus,
Heber aurea de stirpe
Oriundus extitit,
A quo coepit Hebraeorum
Diffamari populus.

Huic sterilis beata
Sara sanctum peperit
Filium, cui nomen dedit
Bonus dei angelus:
Clausus adhuc uulua matris
Isaac uocatus est,
Quem in dei holocaustum
Pater iustus obtulit.

Hic Rebecca de coniuge
Iacob sanctum domini
Habuit prolem, quem deus
Dilexit in specie:
Hic duodecim quaternis
Genuit de matribus
Filios a quibus gens est
Israel lectissima.

Qui beatus patriarcha
Filium carissimum
Genuit in senectute,
Ioseph nomen indidit,
Quem dilexit super omnes
Natos singulariter:

V. 15 hebreorum. 17 baeata. 20 nomen] *suprascr.* dei. 25 iacob *supra lin. add.* 32 lectissima, *corr.* letissima.

Hic paternam reuelabat
Senectutem iugiter.

Fecit ille pater suus
Tunicam talariam
Vario polimitoque
Contextam de stamine:
Erat pulcher in aspectu,
Venustus in specie,
Lilii ad instar nitens,
Roseus, ut rosula.

Hic in nocte soporatus
Praesagum per spiritum
Vidit somnia, quae patri
Fratribusque retulit,
Quem inuidiae tulerunt
Dictis seminarium
Odiique cum liuore
Ministrabant fomitem:

«Segetum albentes spicas
Putabam nos falcibus
Resecare sicque meum
Ligatum manipulum
(Stabat) uestros adorare
Conspexi fasciculos.»
Haec dicente corda fratrum
Altus dolor obruit.

«Vidi solem atque lunam,
Sed et stellas undecim

---

V. 39 paterna. 43 *fuit* polimiteque. 47 liliis. 51 *fuit* somniaque. 53 inuide retulerunt, re *subterducta linea del.*

Me in somnis adorare
Venerandis radiis.»
Ob quam causam duris eum
Pater dictis corripit,
Tacitus tamen rem clausam
Voluebat sub pectore.

His hoc modo gestis pater
Ioseph carum filium
Accersiuit et ad fratres
In pascendis gregibus,
Ubi erant, iussit ire,
Ut sciret, quid agerent,
Ac salutis causam patri
Repedans exponeret.

Cumque eum fratres sui
A longe prospicerent,
Recordati somniorum
Pleno dolo pectore:
«Ecce,» inquiunt, «aduenit
Somniator praesagus:
Hunc, uenite, occidamus
Et celemus sanguinem.

Tunc uidebit quid proderunt
Illi sua somnia
Aut si uera retulerunt
Per uisum auguria.»
Haec dicentes abstraxerunt
Tunicam polimitam
Et in lacum remiserunt
Innocentem puerum

V 72 uo[l]uebat. 91 si reuera.

Haedi sanguine praepulchram
Intinxerunt tunicam
Fraudulentaque tulerunt
Seni patri nuntia:
«Hanc inuenimus iacentem,
Vide, utrum ista sit,
Tunica filii tui,
An forte sit altera.»

Scindens pater uestimenta
Flendo dixit: «ista est
Tunica filii mei
Ioseph dilectissimi:
Fera pessima comedit
Ioseph, mala bestia;
Cani mei cum dolore
Descendunt ad inferos.

Heu me, fili meus Ioseph
Dulcis, amantissime,
Quem nec manu leui dudum
Passus eram tangere:
Modo tua delicata
Membra fera pessima
Cruentatis laniata
Deuastauit dentibus.

Bestia te deuorauit,
Fregit ossa tenera,
Irrigantibus medullis
Suxit undam liquidam,
Sanguis tuus bestiali
Refulsit in gurgite:

---

V. 97 Edi sanguinem. 99 fraudulenta, *om.* que.

Mira tua pulchritudo
In deserto periit.

Heu me, fili meus Ioseph,
Dulcis, amor unice,
Baculum meae senectae,
Patri consolatio.
Lumen eras tu meorum
Oculorum geminum,
Tua mea refouebat
Pulchritudo uiscera.

Cuncta mihi affluebant
Tecum bona pariter,
Deuenerunt in me mala
Te absente omnia.
Cum dolore modo lugens
Descendo in saeculum.»
Hoc modo Iacob plorabat
Ioseph multo tempore.

His peractis uenumdatus
Ést Ioseph in Aegypto,
Innocens in lacum missus,
Propter quod nefarium
Non adsensit perpetrare
Opus deum diligens.
Factus princeps est in terra
Aegypti gratissimus.

In illo timet peccare,
Cuius erat famulus

---

V. 128 in defecto, *suprascr.* ser. 131 senectutis. 153 timuit.

Qui clementer eum sua
Circumcinxit gratia.
Faraoni indicauit
Septem laeta tempora,
Septem tristia praedixit
Post haec redeuntia.

## LIV.

## VERSVS DE HERICO.

Mecum, Timaui saxa nouem flumina,
Flete per nouem fontes redundatia,
Quae salsa gluttit unda ponti Ionici,
Istris Sausque, Tissa, Culpa, Marua,
Natissa, Corca, gurgites Isontii.

Hericum mihi, dulce nomen, plangite,
Sirmium, Pola, tellus Aquileiae,
Iulii Forus, Cormonis ruralia,
Rupes Osopi, iuga Cetenensium,
Attensis humus ploret et Albenganus.

Nec tu cessare, de cuius confinio
Est oriundus, urbs diues Argentea,

V. 159 tristitia.

LIV. *Cod. Bern. 455 s. X f.* $18^{b}$; (A) *et cod. Bern. 394 s. X f.* $1^{b}$, *qui versus 1—10 exhibet, partim neumis superscriptis* (B).

V. 3 glutit A pontionici B 4 istrissa usque A is. trissa issa tissa colpa B 5 gurgites isoncii B gurgitis insontii A 6 michi B plangitæ A 7 polla A 8 rugalia A 9 catenensium B cetenensium, *corr.* cesenensium A 10 abdensis A plorat B 11 certare decus. 12 urbe diuis.

Lugere multo grauique cum gemitu;
Ciuem famosum perdidisti nobili
Germine natum claroque de sanguine.

Barbara lingua Stratiburgus diceris;
Olim quod nomen amisisti celebre,
Hoc ego tibi reddidi mellisonum
Amici dulcis ob amorem, qui fuit
Lacte nutritus iuxta flumen Quirnea.

Ecclesiarum largus in donariis,
Pauperum pater, miseris subsidium,
Hic uiduarum summa consolatio
Erat, quam mitis carus sacerdotibus,
Potens in armis, subtilis ingenio.

Barbaras gentes domuit saeuissimas,
Cingit quas Draua, recludit Danubius,
Celant quas iunco paludes Maeotides,
Ponti coartat quas unda salsiflui,
Dalmatiarum quibus obstat terminus.

Turres Stratonis, limitis principium,
Scythiae metas, Thraciaeque cardinem,
A se sequestrat utraque confinia,
Haec Austro reddit, haec refundit Boreae,
Tendit ad portas, quae dicuntur Caspiae.

Libycum litus, quo redundant maria,
Mons inimice, Laurentus qui diceris,

---

V. 14 nobile. 17 admisisti. 18 melli flui sonum. 19 amice amore. 21 Acclesiarum. 24 karus. 26 seuissimas. 27 drauua. 28 celat palutes meotides. 29 pontico coartat. 31 turnestratonis limidis. 32 sitiae metra stratia qui cardinem. 34 boree. 36 libicum redundet. 37 inimici.

Vos super umquam imber, ros nec pluuia
Descendant, flores nec tellus purpureos
Germinet humus nec fructus triticeos.

Ulmus nec uitem gemmato cum pampino
Sustentet uuas nec in ramis pendeat
Frondea ficus sicco semper stipite,
Ferat nec rubus mala granis Punica,
Promat hirsutus nec globus castaneas.

Ubi cecidit uir fortis in praelio
Clipeo fracto, coartata romphea,
Lanceae summo retunso iam iaculo,
Sagittis fossum, fundi saxa fortia
Corpus iniecta contriuisse dicitur.

Heu me, quam durum quamque triste nuntium
Illa sub die deflenda percrepuit!
Nam clamor ante horrendus per plateas
Lacrimis dignus sonuit, quam tristia
Eius per uerba mors esset exemplata.

Matres, mariti, pueri, iuuenculae,
Domini, serui, sexus omnis, tenera
Aetas, perualde sacerdotum inclita
Caterua pugnis sauciata pectora
Crinibus uulsis ululabant pariter.

Deus aeterne, limi qui de puluere
Plasmasti tuam primos ad imaginem
Parentes nostros, per quos omnes morimur,

V. 39 purpureus. 40 frustus triceus. 42 pondeat. 43 seper. 45 irsutus. 47 rumphea 48 retonso nam. 51 nuntium] noscitur. 52 illa sed dies. 53 orrendus. 55 eius ex uestra extemplata. 56 iuuencule. 58 et asper perualde.

Misisti tuum sed dilectum filium,
Viuimus omnes per quem mirabiliter,

Sanguine cuius redempti purpureo
Sumus, sacrata cuius carne pascimur,
Herico tuo, seruulo mellifluo,
Concede, quaeso, paradisi gaudia
Et nunc et ultra per inmensa saecula.

---

## LV.

## VERSVS ZMARACDI.

Sume plectrum, lingua metri
Tange chordas trochaei,
Aureum deprome carmen
Aurea de patria,
Est ubi beata uita
Et perennis gloria.

Fige stilum dicque primum,
Rumpe, Christe, uinculum,
Cordis et fibras resolue,
Ut tuo de numine
Metrice uel pauca possim
Te iuuante dicere.

Tu potestas gloriosa,
Tu maiestas unica,
Tu tuorum fortitudo,

---

V. 67 sacrati. 69 queso.

LV. *Cod. Bern. 455 s. X f. 20ª. Primae strophae neumae superscriptae sunt.*

V. 2 cordas trochei. 6 perhennis.

Virtus et potentia,
Tu decus creaturarum,
Salus es et omnium.

Lucis auctor et perennis
Es origo luminis,
Veritas de ueritate,
Lumen es de lumine,
Quo beatis sempiterna
Manat ipsa caritas.

Manat inde uita, salus,
Manat inmortalitas,
Vertis apta nuptialis,
Manat ipsa caritas,
Qua beatus perfruendo
Viuit omnis spiritus.

Es et ipse fons aquarum
Cunctarum uiuentium,
Ultro te bibenti prodis,
Ultro tendis brachia;
Qui sitit, sitire desit,
Sat bibat, sat hauriat.

Quos pias tu fonte sacro,
Quos perunguis chrismate
Inbuisque Christiano
Sacrosancto dogmate,
Nos paterno more nutris,
Hos adoptas, hos beas.

---

V. 19 perhennis. 27 nuptiabilis, *corr.* 36 auriat. 38 crismate.

Sint ut ipsi sponsa Christi,
Sint amici, sint dii,
Cum iocunditate cordis
Possint et perpetuum
Nuptiarum semper aptum
Possidere gaudium,

Gaudium, quod nemo plenum
Tollat a fidelibus,
Sed perenne cum beatis
Possidebunt angelis,
Ut sit ex utroque semper
Una Hierosolima.

Illa scilicet superna
Hierusalem, omnium
Mater electorum, sacro
Plena prolis agmine
Et beatorum caterua
Saepta semper uirginum;

Cuius in platea semper
Dulciter melodians
Hymnum dicit angelorum
Pacifer concordia,
Hymnum semper et beata
Turba fratrum personat.

Coetus omnis angelorum
Et thronorum milia
Magno cum triumpho patri
Alleluia concinit,
Dicit Alleluia nato,
Dicit et paracleto.

V. 51 perhenne. 60 septa. 69 cum *addidi.* 71 dicit att. 72 paraclito.

Omnibus diebus, horis
Et momentis singulis,
Mensibus cunctis et annis
Omnibusque saeculis
Turba fratrum dicit hymnum
Mysticis in uocibus.

---

## LVI.

## ITEM ALIVD.

Qui cupis esse bonus, qui quaeris uitam honestam,
Dilige munditiam corporis asque animae.
Munda domus mundi dominum retinere ualebit;
Nam tali semper hospite sospes erit.
Cernitur Omnipotens a mundo corde beati:
Cernere sordiduli non meruere deum.
Luxuriam fugito, si uis conscendere caelum;
Nam petit inferna luxuriosus homo.
Luxuria proceres multos detratit ad ignes,
Pro dolor! et minimos semper ad ima trahit.
Luxuria prorsus sensus detruncat acumen,
Inficit et mentem, sauciat atque grauat.
Diuitias animi pariter detexit, ut aurum,
Eneruat uires, sordidat atque premit.
Semper amat miseros piceis inmergere flammis,
Semper amat socios subdere daemonibus.

---

V. 78 misticis.

LVI. *Cod. Bern. 455 s. X f. 21*[a]. *In titulo*: ALIVM, *ut fere semper. Primo disticho neumae additae sunt.*

V. 2 anime. 5 beatis. 15 piceas mergere flammas. 16 demonibus.

Ergo caue prudens nocitura libidinis arma,
Scilicet ingluuiem mephiticamque luem.
Crapula cum bibuli crassum repleuerit aluum,
Ad ioca sordidulam luxuriosa trahit.
Semper amat risus, semper crispare cachinnos,
Semper luxuriam uenter obesus amat
Ardua regna petis: uentris moderentur habenae,
Ne stomachi currens frena remissa cadas.
Si uis ergo poli, frater, conscendere regna,
Dilige munditiam corporis atque animae.

---

## LVII.

# VERSVS EVGENII.

O mortalis homo, mortis reminiscere casus:
Nil pecude distas, si tantum prospera captas.
Omnia, quae cernis, uanarum gaudia rerum,
Umbra uelut tenuis, ueloci fine recedunt.
Praecaue non felix, ne te, dum cernis et audis,

---

V. 1 mephiticam] musticeam, *corr.* misticeam. 21 ama cacinnos. 22 ob esus. 23 abene. 25 anime.

LVII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 22*[a] (A). *Extat et in cod. Bern. 268 s. XVI p. 42 manu P. Danielis scriptum* (B), *ubi in duas partes diuisum est: I v. 1—6, 9, 10; II v. 7, 8, 11—14, ut Petrum Danielem alio codice usum esse pateat. Denique v. 3—5 leguntur in cod. Bern. 312 s. XI—XII f. 1*[b] (C). EVGENII, *suprascr. m. II* CATONIS A; *in* B *deest inscriptio.*

V. 2 nil] ni B 3 que C 4 uelud denuis C 5 precaue nun C non foelix B nec te A cernis B nescis AC audes AB audis C

Quassans praecipiti dissoluat turbine finis.
Dilige pauperiem, mordaces effuge gazas.
Non redeunt cupidis post carnis dulcia flammas.
Porrige poscenti uictum uel contege nudum
Et te post obitum sic talia facta beabunt.
Quamuis perspicuus auro gemmisque nitescas,
Pauper et exiguus ibis et nudus ad umbras.
Id solum tecum post mortis fata manebit,
Quod bene, quod iuste, quod recte feceris ipse.

## LVIII.

Qui signati estis Christo,
Mementote repromisso,
Quod daturum se in caelo
Vobis dixit in futuro.
Abicite uana loqui.

Habetote in prospectu
Reddituros uos de actu
Rationem coram deo,
Qui uenturus est e caelo.
Abicite uana loqui.

Hoc de uerbis otiosis
Idem clamat in scripturis.

*V. 6 seq. Hic est ordo in B: v. 6, 9, 10, 7, 8, 11* dissolua B 7 mortales effuge B mordaces] mor *in ras.* A 8 non B nam A reddunt AB *v. 8 et 9 in A margini adscripti sunt, v. 9 repetitus ibidem.* 9 . . . tege A 13 facta AB manebunt A.

LVIII. *Cod. Bern. 455 s. X f. 25*[a]. *Primae strophae neumae sunt superscriptae.*

V. 6 Habeto[te]. 11 ociosis.

Ideo, rogo, cauete
Leue carmen personare.
Abicite uana loqui.

Actus uestros immutate
Et corrigere studete
Et dignum deo parate
Habitaculum in corde.
Abicite uana loqui.

Ora uestra, quae factorem
Confitentur, ad deuotam
Semper sint parata laudem,
Sicut decet conditorem.
Abicite uana loqui.

Et quid prodest hic laetari,
Si contigerit tristari,
Ubi est perennis uita,
Gaudia quoque mansura?
Abicite uana loqui.

Ne, quaeso, deludat praesens
Gaudium meos sodales,
Sed condite adipisci,
Ad quod estis inuitati.
Abicite uana loqui.

Non est gaudium, quod finis
Angustat deceptionis
Sedem, laqueos qui nectit
Ignaros atque subuertit.
Abicite uana loqui.

---

V. 22 ac deuotam. 23 parate. 31 Nequæ sodelutat, *corr.* deludat presens. 38 laqueú.

Nuptias Christus parauit,
Ad quas omnes inuitauit:
Ergo uos tantae exsortes
Eritis felicitatis.
Abicite uana loqui.

Eritis utique, ueste
Si caretis nuptiali,
Ligatique in tenebras
Proiecti exteriores.
Abicite uana loqui.

Ubi est fletus ac stridor
Dentium et uastus horror,
Timor et tremor aeternus
Et perennis cruciatus.
Abicite uana loqui.

Ibi sunt hydri mordaces
Et flammae nimis edaces,
Ibi horrida uorago
Et taeterrima caligo.
Abicite uana loqui.

Haec sunt dona inimici
Et non sunt alia uestri,
Haec suis semper largitur
Crudelis et muneratur.
Abicite uana loqui.

Auferat deus a uobis
Et a uestris animabus,

---

V. 40 uana] uã. 43 tante exortes. 52 orror. 54 perannis, *corr.* 56 idri flamme. 57 ædaces. 59 teterrima

Ut non his damnati poenis
In perpetuum ploretis.
Amen sic faciat deus.

Sine fine, sed cum Christo
Liberati ab hoc malo
Mereamini laetari
Et cum sanctis gloriari.
Amen sic faciat deus.

Tibi laus, Christe redemptor,
Qui es omnium protector,
Nunc et semper et in aeuum
Per saecula saeculorum.
Amen sic faciat deus.

## LIX.

Audi, benigne conditor,
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis uirium,
Ad te reuersis exhibe
Remissionis gratiam.

---

V. 70 Amen—deus *in ras., ut versum intercalarem Abicite etc. subfuisse pateat.* 78 euum. 80 *(ut v. 75)* fatiat.

LIX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 25*[b].

V. 1 begnigne. 7 exibere missionis.

Multum quidem peccauimus
Poenasque comparauimus,
Sed cuncta qui solus potes,
Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet ut mens sobria
A labe pressa criminum.

Praesta, beata trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Ieiuniorum munera.

LX.

## VERSVS DE PAENITENTIA.

Ad caeli clara non sum dignus sidera
Leuare meos infelices oculos
Graui depressus peccatorum pondere,
Parce, redemptor.

Bonum neglexi facere, quod debui,
Probrosa gessi sine fine crimina,
Salus patraui nullo clausum termino,
Subueni, Christe.

V. 10 penasque. 16 pressus. 17 presta. 20 munera. AMEN.

LX. *Cod. Bern. 455 s. X f. 41*[a]. *In titulo* PENITENTIA. *Prima hymni abecedarii stropha cum neumis.*

V. 3 pondera. 6 crimine. 7 nullum.

Cunctae, quae salso mari sunt in litore
Harenae mixtae purpuratis conchulis,
Non meis possunt coaequari uitiis,
Fateor, malis.

Doleo multis peccatorum iaculis
Confusus arcu, quem Venus libidinis
Intorsit lita spicula mortiferi
Fellis abunda.

Effudit demum de pharetra flammeas
Sagittas meum super uulnus, uulnere
Infixit statim Cupido turpissima
Fronte rugosa.

Factus sum uilis, cuncta super ilia
Venit latenter gladium superbiae,
Cordis infixit mucronem sub medio
Manu cruenta.

Genus serpentis adfuit Inuidia.
Veneni portans pocula pestiferi,
Dedit in sitim, mortis auctor extitit
Sordida lues.

Horrida uultu facula Discordia
Igne succensa deferens sulphureo
Medio meo posuit sub pectore,
Coxit amare.

Inter has quoque pennas gerens plumbeas,
Inanem cursim transuolaui gloriam,
Quae me uentosa nitebatur subito
Fraude perire.

---

V. 9 cuncteque. 10 arene mixte conculis. 16 ab unda. 20 statim *m. II add.* 22 superbie. 28 sordita. 34 inanes gloria.

Kanendo uenit festula Ingluuies,
Bona praesentis inrogabat temporis,
Extendit uentrem, temulentum reddidit,
Miscuit risus.

Lugere modo me permitte, domine,
Mala quae gessi reus ab infantia,
Lacrimas mihi tua dona gratia
Cordis ab imo.

Meis, ut puto, uitiis Tartarea
Tormenta multis non ualent sufficere,
Nisi succurrat, Christe, tua pietas
Misero mihi.

Nullum peccatum super terrae faciem
Potest aut scelus inueniri quodpiam,
A quorum non sim inquinatus faecibus,
Infelix ego.

Ortus. Occasus, Aquilo, Septemtrion,
Caelum terraque, mare, fontes, flumina,
Montes et colles, campi, mixta rosulis
Lilia, flete.

Plangite mecum, astra rutilantia,
Mecum mugite, bestiae siluicolae,
Dicite: « Tu es miser, qui sub impio
Crimine gemis. »

Quis me de manu Cocyti flammiuomi
Erui potest, nisi patris unica
Proles, qui mundum pretioso sanguine
Jure redemit?

---

V. 37 Canendo. 39 uentre. 45 uitis. 49 terre. 50 quod piam. 51 fecibus. 54 terramque. 55 rosolis. 58 bestie siluicule. 61 Cocyti] quo qui di. 62 erui] *an* seruare? 63 prolis praetioso.

Redemptor mundi, unica spes omnium,
Filius patris sanctoque spiritui,
Trinus et unus deus inuisibilis,
Mihi succurre.

Si me subtili pensas sub libramine,
Spes in me nulla remanet fiduciae,
Sed rogo, tua me saluet potentia,
Filius dei.

Tolle peccatum, dilue facinora,
Ablue sordes donaque charismatum,
Instaura meum clementer pectusculum
Munero tuo.

Veniam peto non meis de meritis
Fisus, de tua certus sum clementia,
Qui bona rẹgis pietate solida
Gratis inpendis.

Christe, te semper recta fide labiis
Confessus corde credidi orthodoxo.
Haereticorum dogma nefas respui
Pectore puro.

Ymnum fideli modulando gutture
Arrium sperno, latrantem Sabellium,
Adsensi numquam grunnienti Simoni
Fauce susurra.

---

V. 65 filius] alius. 70 fiducie. 71 salua. 74 carismatum. 81 Christe] *Graeco more nomen* Xpē *scriptum est.* 82 ortodoxo. 83 hereticorum. 85 ymnum *pro* hymno *ob alphabeticam carminis institutionem intactum reliqui.* 86 latrante. 87 grunienti.

Zelum pro Christi sum zelatus nomine,
Me sancto lacte namque catholico
Tempus per omne nutriuit ecclesia;
Ubere sacro.

Gloria sanctae trinitatis unice
Sit deo patri, genito, paracleto:
Laus . . . . . . . meum sonet per saeculum
Domino semper.

LXI.

## VERSVS DE DIE IVDICII.

Apparebit repentina
Dies magna domini,
Fur obscura uelut nocte,
Improuisos occupans
In tremendo die iudicii.

Breuis totus tunc clarebit
Prisci luxus saeculi,
Totum simul cum clarebit
Praeterisse saeculum
In tremendo die iudicii.

---

V. 90 sancto] scammi: *desideratur vox trisyllaba.* 91 æcclesia. 94 paraclito. 95 *lacunam post* laus *statui.* 96 semper. amen.

LXI. *Cod. Bern. 455 s. X f. $42^b$. Est fragmentum hymni, ut stropharum initia docent, abecedarii. Post f. 42 aliquot folia intercidere.*

V. 1 repen tina. 9 preterisse seculum.

Clanget tuba ter quaternis
Terrae plagas concitans
Viuos una mortuosque
Christo ciet obuiam
In tremendo [die iudicii] .....

* * *

## LXII.

Rex, Christe, serui laudibus
Dignare laudari tui,
Ex ore cuius discimus
Te patre natum seruuli.

Te confitemur filium
Nec lege uinctum temporis,
Tu lumen es ex lumine
Verus deus, uerus homo.

Hoc ex Johannis flumine
Donante te percepimus,
Hoc corde lingua pandimus,
Aequum patri qui natus es.

Tu spiritus porro pie
Maior minor laudi credens,
Quorum potestas una est
Nec temporis distantia.

---

*V. 10 suppleui.* 11 tube. 12 terre concinans. 15 in tremendo] *hic finis paginae.*

LXII. *Cod. A 90, 19 s. X f. 1ª.*

*Inter v. 16 et 17 unius stichi lacuna, ut alterum hymnum illinc incepisse credibile sit.*

Deo quod ortus sit deus
Caro idem et alma uirgine
Creator atque conditor,
Sacer Johannes indicat.

Fides hoc hausit omnium
Tenetque lucem gentium
Vices nec ullas accipit
Eis diei gratia.

Minora tres cum caeteri
Colenda sed pronuntient,
Auis hic instar euolans
Moratur in maioribus.

Stuperet istud quispiam,
Quod esse perscrutantium
Solet deus, ni in pectore
Parasset ille lectulum.

Ut haec ualeret scribere
Perenni hora saeculo,
Quiete discit, rarior
Meretur eam castitas.

Verendus aeternum bonis
Citra cruorem creditur
Cacumen altum martyrum
Cepisse sanctis moribus.

Precamur illum supplices,
Eius potens oratio,
Nobis ut assit, seruulis
Tuis, creator omnium.

---

V. 19 conditus. 34 ora. 41 p̃camur.

Beata patri gloria,
Beata soli filio,
Utrique compar spiritus
Aequis cluat honoribus.

---

LXIII.

## DE INNOCENTIBVS.

Furens Herodes impie
Nocere non permitteris;
Scelus quod exoptaueras,
Tuus habet cognominis.

Quicquod deus decreuerit,
Est prorsus immutabile,
Paras coronam paruulis,
Dum uis necare paruulum.

Dei stupenda gratia
Praestat honorem martyrum
Necdum sui capacibus
Mortemque uita terminat.

Dignentur ipsi paruuli
Fouere nos communiter
Precesque nostras infimas
Suis iuuent sublimibus.

---

LXIII. *Cod. Bern. A 90, 19. s. X f. 1*[a].
V. 15 p̃ces. 16 sublimibus] *additum* praesta pater.

## LXIV.

# DE MARTYRE STEPHANO.

Jesu, salus certantium,
Remunerator martyrum,
Dignare seruos nisibus,
Qui uota soluunt debita.

Omni quidem nos tempore
Laudare Christum condecet,
Sed nunc, reor, potissimum
In laude magni Stephani.

Hic iustus et laudabilis
Sancto repletus flamine
Tot splenduit miraculis,
Iudaea quo stupesceret.

Humana lingua non ualet
Narrare tanta munera,
Quae Jesus isti militi
Amore largo contulit.

Hic conglobatis impiis
Miranda fert oramina,
Quo sit refertus spiritu,
Pandit loquendo sophiam.

Quae dicta sat salubria
Alto refusa pectore
Obscuritate commonent,
Quaerenda quod sint sobrie.

---

LXIV. *Cod. Bern. A 90, 19 f. 1*[a].
V. 20 sophyam.

Hinc facta coniuratio
Tormenta in illum dirigit
Et sic cruentis brachiis
Sancti cruentant brachia.

Infausta martyr attamen
Haud optat insequentibus,
Verum remitti postulat
Tanti nefas peccaminis.

Huius rogatu quaesumus,
Depelle nostra crimina,
Colenda semper trinitas,
Aequalis est cui gloria.

---

## LXV.

Hic, festa cuius pangimus,
Edoctus est largissime
Illo recumbens pectore,
Quo summa est scientia.

Regina sicut auium
Transcendit ista nubila,
Sic cuncta felix transiens
Inuisa uidit saeculo.

Tum uerba ructat optima
De patris alto filio,
Quod extet ante tempora,
Qui natus est in tempore.

---

V. 27 brachi^is.
LXV. *Cod. Bern. A 90, 19 s. X f. 1ª. Praescriptum* ioh̃.

Hoc egit alma castitas,
Qua fulget omnis sanctitas,
Qua sic Iohannes claruit,
Ut nemo plus fidelium.

Rogandus est a seru[ulis]
Hic seruus admirabilis,
Ut uoce clementissima
Mali releget uincula.

Ut uota nostra iudici
Iesu libenter offerat
Poscentibus et gratiam
Nobis benignus conferat.

Deus pater cum filio,
Paracletus et spiritus,
Est par quibus sublimitas,
Nos adiuuent in saecula.

Cursim peregi carmina,
Quae uestra cernunt lumina;
Horum patricior postulat
Valere te per saecula.

## LXVI.

Clara dies rutilat populis: sacra limina lustrant
Ecclesiae sancti Martini Massiacensis,

V. 15 claru . . . 26 paraclytus. *Versibus 29—32 nota + praefixa est, ut inserenda ea esse aliquo loco pateat, neque vero alia similis usquam conspicitur.*

LXVI. *Cod. Genevensis 50 s. IX inter tractatus aliquot astronomicos.*

V. 1 lustrans *Senebier.* 2 aeclesiae] ecclesia *Senebier* mas-ciacensis.

Gregorii laudes, festum recolentes ouanter
Praesulis eximii, cuius sacra dogmata passim
Sparguntur latum semper recitanda per orbem.
Astriferas sedes hodie capit axe locatus.
Martius in quarto bis senos dum facit orbes
Idus anhelante Philogeo se indere terris,
Hic teripes dicti Martini limina triuit
E propriis finibus retegens funebria dira,
Quae coram recitata patres fratresque uerendi
Munia uotiua Christo de more frequentant,
Gorgoneas technas pellat is dote benigna
Artibus et superis faciat recitare choreas
Agmine sanctorum mixtus per saecula longa.
Hic locus a sceptro domni dominatur Odonis,
Qui gratus cunctis, mitis multumque modestus,
Doctiloquus, blandus, ueneranter ubique colendus.
Inde decanus adest Rainaldus Christi minister,
Arduini studium Cereris sacra munera suffit,
Sacrorum custos Sichelmus inesse uidetur,
Relliquias panis fert Adalbertus egenis.
Ast alii fratres parent ad uota iubentis.
Vultibus inclinis oramus soluere nostris
Munera, quae uestris orastis uoce benigna.
Vestra cohors ualeat longos per temporis annos
Percipiatque dehinc cum sanctis pascua laeta.

V. 3 laudes *Senebier*] laude 4 cui *Senebier* docmata. 7 orbis, *corr.* —es. 8 hanelante. 11 Que recitatu *Senebier*. 12 Christi *Senebier*. 13 tegnas] tignas *Senebier* his. 14 arcibus *Senebier*, *sed* superas artes *opponi illis* Gorgoneis technis *nemo non videt*. 15 secula. 16 dominatoris *Senebier*. 18 Doctilocus. 20 Arduinus *Senebier*. 21 Sichelinus *Senebier*. 23 iubentes *Senebier*. 25 muneraque quae nobis *Senebier*. 26 choors *in rasura* longo$^{s}$. 27 leta.

## LXVII.

Moribus ornatur sanctis probitatis amator
Collaque praeceptis summittit rite supernis,
Pacificus domino famulans dignusque sacerdos
Mystica procuret aptare monilia collo,
Plurima quis utens maneat per tempora sospes.

---

## LXVIII.

Quattuor ex uentis subnixi colla ferentes,
  Crux, tibi praeclara sponte sonamus: aue!
Fac, crux, inuictos referens Acheronte triumphos
  Hac procul ex aede friuola cuncta fore.
Qui patuli poenas ligni patiens reboasti,
  His ignosce malis, crimina nostra fuga!
Hoc crucis in signo, cunctorum Christe redemptor,
  Intranti custos sis reducique comes.

---

LXVII. *Cod. Bern. 257 s. X ad calcem post Persii saturas f.* $14^b$.

V. 1 sanctis *suprascr.* 4 mistica. 5 quos, *corr.* quis.

LXVIII. *Cod. Bern. 257 s. X ibidem.*

V. 2 sponte sponte, *priore vocabulo inducto.* 3 triunphos., *corr.* 4 cunca. 5 penas.

## LXIX.

## ALCVINVS ABBAS CONPOSVIT HOS VERSVS QVI IN HAC PAGINA CONTINENTVR.

Crux, decus es mundi, Iessu de sanguine sancta.
Rex Deus ex cruce donauit caeleste tribunal.
Victor, tollendo mala, regnat, uicit et hostem
Christus, nostra cruci grandis, en, hostia fixa.
Pastor oues moriens dextra sanante redemit.
Inclyta sancta salus, ligni uenerabilis oue
Absoluendo trahit praedam, carnale ligamen.
Vinctus enim nos rex summus soluebat et ipse,
Ex tradendo cruci uitam de morte thriumphat.
Regia sancta patet mundi sic hoste perempto.
Amplius haec toto laudanda uigore patebunt.
Signa gerenda bonis nam cernant omnia sensu,
Altius ut uideant, quot soluit passio sancta
Luctibus aeternis unumque a tempore uictum,
Ut pressos plagis sanaret ab hostis; et istic
Sit nunc nostra salus, excelsus uerus Joseph,
Passus in arce crucis sic, ne seduceret error
Afficiens homines trudensque ex luce fidei,
Rector in orbe, tuis sanauit saecla sigillis.
Te, mea uita, salus, tibi tantum cantica condet
Et generosa canet uox semper carmina, aperto
Si liceat plectro, quia clarus carmine Dauid

---

LXIX. *Cod. Bern. 212 s. X f. 123ª post Optatiani Porphyrii carmina acrostichica. In titulo:* CONPOSSVIT. *Ultimas cuiusque versus litteras supplevi.*

V. 9 Ex tradendo] *leg.* et tradendo. 12 cernant] *an* cernent?

Insistendo probat pretioso sancta coturno.
Nobis testificare decens esse inde paratum,
Quem primum incoepi, tu Christi sume superni,
Vera salus, calamum, tu lux pia sanctaque! dein
Alma crucis uexilla canunt gentilia saecla,
Tota tremens tellus, effertur et unite nomen
Testificat crucis: en! orans subtilia pandit
Viscera: nunc uanus, confossus, iniquus auete!
Omnipotens fulget: sit corde beata fides nec
Rursus ylidrus agat ueteri ut pectora retro.
Optimus ad regnum nos fidus et ille redemtor
Reddidit et rigidum signo superauit in isto
Belligerum euertens de regni sorte Satanan.
Inclyta crux, mundus debet tibi soluere uota:
Suscipe sic talem rubicundam, celsa, coronam!

## LXX.

## IOSEPH ABBAS SCOTTVS GENERE HOS VERSVS QVI IN HAC PAGINA CONTINENTVR CONPOSVIT.

Primus auus uiuens, en, nos in morte redegit.
Heu sic et mulier praetendo poma per ydrum

V. 28 unite] *leg.* unice. *Versuum acrostichicorum (cf. appendicem nr. 1) interpretamenta desunt; sunt autem hi versus:* Crux pia uera salus partes in quattuor orbis; Surge lauanda tuae sunt saecula fonte fidei; Alma teneto tuam Christo dominante coronam; Salue sancta rubens fregisti uincula mundi; Signa ualete nouis reserata salutibus orbi.

LXX. *Cod. Bern. 212 s. X f. 123*$^{b}$. *In titulo* CONPOSSVIT. *Primas versuum litteras suppleri.*

V. 2 praetendo] *leg.* praebendo.

Fecit nos plagas iuste percurrere multas.
En, nostrae mortis sementa fuisse uidemus.
Scorpio pulsando ualuit nam perfide fari:
Eua parata patet iusis heu ualde superbis.
Vincit te, mulier, pomi pulcherrima grandi
Vi species, peris ammota tunc uirginitate.
Horruit auersus pariter seu coniuge tali
Deprauatus auus gustus miserabilis ausu.
Ergo uir ex ligno mandens nos noxa peremit.
Inclyta uirgo fide sed raro uota sacrauit
Ista Maria nouam uitamue subire supernam,
Et carnis prior ascultet sibi iura tenere,
Ardua tunc toto cupiens castissima mundo.
Talis enim meruit regemque parire deumue,
Qui pie subuertit, fregit et ferrea nostri
Iura mali. O uere feliciter hinc prior ibat,
Lege sibi placita prauorum ferret ut iras.
Iam deus ad lignum seruili nomine pendens,
Porro sui miserum soluens ope solius Adam
Expirauit ita et celerat deferre serenam
De summis lucem. Sunt haec uexilla reuersa
Regni, quae pridem clauserunt limina, dein
Ipse uir et mulier, arbor uitaeque relator
Procerum, o serpens, ultorue natus illorum
Promunt hic uitam de ligni uecte redemtam.
Hic nam cum seruus dominum se paret haberi,
Mortis eum iuste seu nos tunc ultio sumsit.
Sed uerus dominus se serui uestit amictum

V. 6 patet] *an* paret? 30 amictam, *corr. Acrostichorum interpretatio deest; sunt hi versus (cf. appendicem nr. II):* Lege Carle feliciter; Ille pater priscus elidit edendo nepotes; Mortis imago fuit mulier per poma suasrix; Iessus item nobis ieiunans norma salutis; Mors fugit uitae ueniens ex uirgine radix.

Et reparat mundum rex optimus ille piorum.
Inlicitis ast Eua cibis os contulit audax,
Sed mortem rapido contactu detulit orbis.
Inde Maria uiri ex te iura recidis habenda,
Hinc genetrix uerae tu sumis semina uitae.

---

## LXXI.

# ITEM IDEM IOSEPH HOS SEQVENTES VERSVS FECIT.

Dico, Carle, putas quae uerae signa salutis,
Vota ualent summae seu uim deducere uitae,
More serenarum rapiunt fantastica, sed tu,
Rex bone, large, suo signabis cuncta uel usu
Vel specie rerum, uideas quas clarius ipse,
Et penitus prauis pressurae iura dedisse
Et uia uel uirtus iustis esse optima uitae.
En alios certe consternunt culmina regni
Aurea, uassalo cantet gemmas rite rosatas
Et uestes, domitos et equos et multa parata
Dulcius in potum: rebus spes ardet edendis,
Turbida per tales, quos rodit saucia, curas
Perdit amens uanis uilis per deuia uadens.
Sed, pie rex Carle, bona quae produximus ore,
Ipsa tibi tribuunt caeli: praesagia laeta,
O bene disponens, iustis hic spergis, ut una
Spes tua cum castis uiuat mercede superna.

---

LXXI. *Cod. Bern. 212 s. X f. 124ᵃ.*
V. 3 serenarum] *leg.* Sirenarum.

Mira fides regis cogitat terrena carenda,
Ast ideo ueros quaerens nancturus amicos
Es, domini seruos, sed crede sacrata suetis:
Verius o uitae stant munera et arma beatae!
Si cogites etenim, sic altius ista uidebis
In te, care deo, rubro quae inscripta colore
Pagina lata tenet, miscenda a rore nigello;
Quae non dona malis uere laudanda colonis
Reddet in aeternum donator summus Iessus,
Ista uides, mirum, per partes plenius orbis
Exercere pios. Sapientia plurima laus est
In uirtute boni, merito cum nobilis et hinc
A te purus amor pululet, spes fulgeat, ut sol.
Ast laudanda fides orbi notissima, rector.
Vera uides arma et pariter sublimia signa:
Rex pia dona dedit cuncta sapientia, cui tu
Vere deseruis potius, quae et portio maior
Muro celsifico et caelo est, en, altior alto.

---

V. 23 rubro] *Nam versus acrostichici rubro colore scripti sunt. Acrostichorum interpretamenta (cf. appendicem nr. III) haec habes adscripta:* Dico Carle precor quae stat speciosior auro: Si tu lecta uocas prauis quae dantur ut aurum; Dum rutulat species et caelo sublimior alto; Seu uestes pecudes et nec minus omne decorum; Sapientia; Spes fides; Et caritas; Et ueritas. *Praeterea hi versus additi sunt:*

Haec tenet aeternae uirtutes pagina uitae
Dona, dei tantum Christi quae dantur amicis,
Quae simul haud prauus seu nullus habebit iniquus.
Quae deus omnipotens donauit munera Carlo,
Pauca tibi scripsi rubro distincta colore.
Carmina si iubeas sed plus, superaddo Camenas.

LXXII.

## ITEM IOSEPH.

Vita, salus, uirtus, uerbum, sapientia, sponsus,
Ianua, pastor ouis prolisque parentis imago,
Recta columna, lapis, turris es, lucifer et sol,
Gratia plena patris, augmentum lucis ab ortu,
Altitronus Iessus, lex optima, factor Olimpi,
Consilium princeps, repletus fructus oliua,
Omnipotens uitis rector, en unctor et unctus,
Legifer, aetherius testis, dux, sermo, profeta,
Victor, ubique tremit te caeli regia, praesul
Maximus et minimus, signum uenerabile cultu,
Butrus es in Cypro, mors, seruus, uictima, manna,
Arbiter aeternus, nimbus, quo terra uirescat,
Lampas es aut panis superus commissus ab alto,
Exitus, introitus, sors, regnum siue redemtor
Orbis es, en, medicus ponens pigmenta salutis,
Signifer in clepeis tu uincis semper et arcu,
Emptor adeptus eras claro de stipite mundum,
Rex regum, dominus, cunctis lux alma per orbem,
Principium, finis, locuples et pauper amictu,
En puer et senior, fons, flumen, pastor et agnus,
Nomen habens oriens, uexillum lucis es ortum,
Simpliciter mitis, mirandus es ore profusso,
Fortis seu infirmus, tu plenis sensibus Aron,
Iustus es et iudex, tua solum sancta uoluntas;
Regna beata tenens de stercore sumis egenos,

---

LXXII. *Cod. Bern. 212 s. X f. 124*[b].

V. 11 butrus] *leg.* botrus. 16 clepeis] *leg.* clipeis.

Murus es inualidis, puteus, quem femina potat,
Ignis in hunc orbem, missit quem uerus ab arce
Supremusque parens, tritus tu passus es Abel,
Scriba es, tu ceruus, caprea de cespite Bethel,
Inclyta porta bonis, plana et tu semita recta,
Mursus es inferni, o rex, cuius celsa tribunal
Astra poli superat, prior a consortibus es tu,
Pacificus Salomon uerusque oblatus es Isac,
En homo tuque deus, pensas qui proemia cuique,
Tu stas damnans omne nefas, defensor et ultor,
Rex pie, uirtutum tibi gloria, mystice Samson,
Auxiliare, decus, flos campi summaque dextra.

---

## LXXIII.

## ITEM IOSEPH.

Inclyta si cupias sancti sub culmina templi
Vel laetas sedes intrare patentibus astris

---

V. 31 mursus] *an* morsus? *Acrostichorum interpretamenta (cf. appendicem nr. IV) haec sunt adscripta:* Vita salus uirtus uerbum sapientia sponsus; Virga columba leo serpens firmissima petra; Sol uia saluator summus mons stella lucerna; Auxiliare decus flos cumpi summaque dextra; Rex regum dominus cunctorum rite creator; Virgo potens uere uatis lux alma per orbem; En puer et senior fons uitae uita perennis; Alfa uocaris et ω pax lumen pastor et agnus. *Secuntur hi versus:*

His de nominibus, per quae scriptura uocare
Iesum saepe solet, haec pagina scripta patescit.
Nomina multa deo, dum discutienda leguntur,
Mystice conueniunt, ex quis haec ipsa notaui
Et scribenda tibi melius, rex Carle, putaui
Tuque memento mei, dicor qui nomine Ioseph.

LXXIII. *Cod. Bern. 212 s. X f. 125a.*

Coetibus et curas superum te iungere, lector,
En, iter est certum: Christi crux quaeque recludit
Fulgida caelorum reserando limina sanctis,
Humani, en, generis per quam deuicerat hostem,
Dum pius altithrono Iesus de culmine patris
Venerat et princeps humanos sumserat artus
Ac terrae factor caelique marisque creator
Mirifico tenerae est carnis uelatus amictu,
Numina Tartareae uellet dum perdere mortis.
Hoc Christus signo infandos auertit et actus
Vincula disrumpit fatis inpressa nefandis.
Sic hostile nefas uincit serpente perempto
Peccatique caput tum nigris abdidit antris.
Inclyta quapropter uariatis carmina Musis
Laurigeraeque cruci semper deuota canemus.
Ipsa bonis hominum praebet praeconia uotis
Pax honoratque salus, lux summo fulgida dono,
Mors qua saeua fugit, dulcis et uita reuertit.
Eximio hanc totus uenerabitur orbis honore
Et simul haec hominum tutando uota reseruat,
Ne turbans animum rapiat in crimina serpens.
Prima salus cunctis in te, perfecta, perennis,
Postea quam rector te scandit, grata supremo
Quae fulgis uoto, medicina es prompta dolorum.
Inclyta crux, salue, per te est pax uera relata,
Virtus, uita, salus hominum, mors, poena diabli.

V. 13 inpraesa. 26 fulgis] *leg.* fulges. *An* fulcis? 26 prumta. *Acrostichorum explanatio (cf. appendicem nr. V) deest; sunt hi uersus:* Crux mihi certa salus Christi sacrata cruore; Crux decus aeternum toto uenerabile saeclo; Crux uita salus credentis; Crux mors poena negantis; Cruci sancta semper saluet inscriptio corda.

Quapropter currit supplex quin pacis origo,
In tua mens properans totis praeconia uelis
Quaerit et aeternae sibi uitae gaudia laeta.
Tu, caeleste decus, cito prima piacla tulisti,
Aurea lux saeclis sanctissima, nota, probata,
Crux, uere ueneranda, potens, pretiosa ualeto.
Frondicomo tulerat primum te uiscere sacro
Frugifero cispes: laudant modo sidera caeli.
E s a s o.

---

## LXXIV.

## ITEM IOSEPH.

Magna quidem pauido praebet fiducia uati,
Condere subdulces rurali carmine laudes.
Iudice nec etiam trepidat te dicere Musas,
Dum tacet illa magis: laedit nam tibia mundo,
Quae miri timuit regis laudare triumphos,
Ludendo penitus totum seu ferre per orbem.
O lux Ausonidum, mitis pater inclite mundi,
Hos lege Musarum calamos, rogo, pace serena,
Flauius Anicius Carlus laetare tropaeis!
Tibia nunc uariis libeat uittata coronis
Haec tibi, rex felix, picto renouata colore,
Quae te Piereis decantat uersibus auctor,

---

LXXIV. *Cod. Bern. 212 s. X f. 125*[b].

V. 4 ledit. *Acrostichorum (cf. appendicem nr. VI) explanatio deest; sunt hi versus:* Ducite nunc regi pronis noua munera Musis; Puplius Albinus Carlo haec inclyta lusit; Dicite laeta bono mecum modo carmina regi.

Nomina digna patrum uenerato ponere regi
Hac libet in Musa, quos nobis, magne, reducis.
Tu pater o patriae, decus et uictoria tecum.
Spes miseris et certa salus, o semper aueto.
Rex pius, hos etiam uersus tutare canentis
Flauius Anicius Carlus, per saecula salue!
Iure tuas iterum resonato fistula laudes,
Lege et Castalia, Pitheo seu carmine ludit.
O decus omne tuis, uitae lux maxima nostrae,
Subque tuo mundus flectatur pronus amore.
Magnanimum regem te claris laudet in odis.
En, tu laudantes uincis, sed rex bone, uersus
Virtutum meritis mundo tu praecipe solus.
Magna salus hominum, celsa pietate beatus
Flauius Anicius Carlus, tibi carmina dixi.
Suscipe, rex magne, Dryadum de nomine Musas,
Quas tibi ruricolo statuit, en, tibia uersu.
Sed, rogo, pastorum placeat Saxonica penna.
Pro tua, summe pater, o laus bonitate serena,
Iam nunc ausus eram ruralia currere prata,
Ut calamis flores pastorum more rubentes
Colligerem capiti diuo conpingere serta.
Sanus adesto potens, toto sine fine ualeto!

## LXXV.

# TEVDVLFVS EPISCOPVS HOS VERSVS CONPOSVIT.

Omnipotens domine et pacis donator in aeuum,
Mundi ex arce tonans, rorem dans muneris almi,
Nam tu es lucis origo, creator, magne redemtor,
Inclyte cunctarum rerum excelso sator actu,
Aetherea uirtute regis tu climmata sollers,
Cuncta dicata creans gelidi ditator abyssi.
Utile namque sedens sedis super ardua numen,
Iusque, beata quies et donans culmina sancta,
Res, pia uirtus, procedens e lampade splendor,
Et genitoris honore excelso missus et istic,
Saecla misella pians tabo probroque lueque
Ocius optata tribuis redimicula, quae in hac
Nosmet uita perlustrarunt, flammifer ut sol,

---

LXXV. *Cod. Bern. 212 s. X f. 126ª. Acrostichorum (vide appendicem nr. VII) interpretatio haec adscripta est:* Omnipotens domine et pacis donator in aeuum; Muniaque ut sumas prostratis uultibus opto; Mirus in arte cluens clarescens lumine sudo; Praecipuasque deo solitus cantare Camenas; Nutibus eximiis tribuis caeleste tribunal; Omnia cui resonant sine fine creata canorem; Promere qui studeo nunc carmen mitibus odis. *Secuntur hi auctoris versus:*

Pagina namque preces et laudes continet ista,
Quas ego Teudulfus cecini sub nomine regis
Seruulus exiguus iussu conpulsus erili.
Nobilis, o lector, rutilisque per omnia cantor,
Versiculos nostros sollers reprehendere noli,
Hos quoniam primos praesenti stigmate prompsi.

Ardua dulcifluo dans munera, splendide, nutu.
Nempe tuis monitis extendis uiscera terrae.
Tutor enim dominusque tibi per sidera nomen,
Sancta salus nimia et uirtutis copia cursus,
Iure quidem rutilo deducis tempora et ob hoc
Nutibus eximiis tribuis caeleste tribunal.
Ecclesiae splendens lampas redimita sofia,
Fac Carolum auctum, tu, felici sorte redemtor.
Is tamen e fidei praepollens stigmate sudae
Nunc retinere potest subnixi cespitis oras.
En, summorum hunc consortem, Christe, ducum fac,
Congrue quos uexit delectans gloria pompae.
Regnat in orbe pio ditatum ex flumine flumen
Et domini monitis sanctisque tuetur ab aris.
Annuit is mihi, qui sum inmensis casibus exul.
Talia prolato ut promam nunc carmina tractu.
Artipotens nimio disponit foedere templum,
Cara ubi uerba boni Christus concedit oliui
Atque capit purum ueneranda a sorte litamen.
Nunc laeto ingens spes cum mira coniuge rege
Omnibus augebit conatum et proemia sanctis,
Ruricolis tribuendo annonam temporis actu.
Ecce igitur mea carmina, proles maxima Dauid,
Muniaque ut sumas, prostratis uultibus opto.

---

## LXXVI.

Summe sator rerum, qui uerbo cuncta creasti
Atque opus omne tuum dextra tu rite parasti,
Luminibus caelum et ramis florentibus arua

---

LXXVI. *Cod. Genevensis 22 s.* X *f.* $3^{b}$.

Ornans sicque tuae deitatis iura reuelas,
Dignis unde patrem summum te scire queamus
Atque parem semper tibi Christum credere natum.
Flatus nempe sacer iste tibi numine claro
Permanet aequalis tecumque in saecula uiuit.
Tu deus es hominum rector, saluator et idem,
Proemiaque iustis poenamque merentibus indis,
Sexus, personas, aetates perspicis auctor,
Mercedem et propriam donas iustissimus omni.
Te quoque deposco, ne linquas laedere quemquam
Reginam fraude foueasque benignus amatam,
Tu ut facias, fortis iudex, regnare quietam
Istic, sicque polo Iudith ipsa paretur adire,
Quo dignatque uocata, ipsa sit munere Christi,
Quam hic memores laetus placatus si set ubique,
Illi, quo ualeat canere odas, diceret astris.
Nec iam fit uoto reus, altum ad culmen Olympi
Qui tendit mente, casam ordini satque beati
Ambit, quam tribuit illi super aethera sedem
Arbiter omnipotens, qui solus regnat in arce.
Hic tu, Christe, tuis seruas per saecula regnum et
Quos saluas illic, hic corripis ante benignus.
Rex iustus, sanctus, seuerus, mitis, amandus,
Fac nos uelle, rogo, tua iussa implereque rite
Condignis factis fidei bene iura tenendo,
Quo sedem superam regem te ualde sequentes
Scandamus laeti et capiamus regna serena,
Lux ubi perpetua est, uita, laus, gloria uera,

V. 6 cristum. 7 iste te tibi. 10 poenamq; *pro* poenamqe *(cf. appendicem nr. VIII.)* 13 quoqe linqas ledere quemqam. 17 cristi. 19 qo. 20 olimpi. 21 qi. 22 qam. 25 qos benigni *pro* benign; 29 *aut* qo *aut* seqentes *scribi oportuit.*

Quo pater ac natus regnat et spiritus almus.
Unus namque deus uerus summusque creator,
Paruos qui et magnos sanat per saecula iustus,
Omnium et est factor, iudex atque omnibus aequus.

---

## LXXVII.

# INCIPIVNT VERSVS ALCHVINI AD SAMVHELEM EPISCOPVM SENNENSIS ECCLESIAE.

Est mihi seruili scripulus dicione subactus,
Qui me cotidie statutam pascit ad horam.
Ille est siuscalcus, uere buticlarius ille,
Etsi forte semel uadit per compita missus,
(Nescio quid causae est) ad me repedare recusat.

---

V. 32 quo] co. 34 qi. *Acrostichorum explanatio (cf. appendicem nr. VIII) haec adscripta est:* In hac pagina sparsis litteris conscripti sunt XXXV uersus exametro heroico, in dextera autem domini, quae supra depicta est, et in imagine subter formata *(supra enim conspicitur manus depicta, infra virginis caput circulo circumdatum)* duo uersus sunt asclepiadeo metro conscripti hoc modo: DEXTRA DEI SVMMI CRISTE IVDITH, IPSE TVERE O DEVS ALTVS AMOR. In circulo autem, qui cingit ipsam imaginem, III uersus sunt metri adoniaci istius modi: DONA BEATA, DA DS̃ ILLI, ARCŒ CORONAM.

*Cod. Bern. 394 s. X f. 226*[b] *(et cod. Lugd. Voss. 70 s. X). In titulo* EPISCOPVM *et* ECCLESIAE *notis Tironianis scripta sunt; sed vocis* episcopus *imago Tironiana (eadem est apud Gruterum p. 99 Schmitzio meo docente) aliter in libris exprimi solet, quam hic factum est. Praeterea in titulo* AD *bis positum.*

V. 3 buticlarius ille] *cod. Lugd. addit:* Hic cocus hic pastor nec non stabularius ille, Ille lauander adest etiamque focarius ille. 4 compita *Lugd.* competa *Bern.* 5 causa est *Lugd.*

Ut reor, imponunt mangones uincula saeui
Includuntque meum tenebroso in carcere seruum,
Nec est qui redimat seruum de carcere nigro.
Sic uadunt cuncti fugientes omnibus horis,
Sic minuet seruos nec sic sibi sat habet illa.
Quapropter maneas Sennis, sanctissime praesul,
Utque tui tecum possint consistere serui
Atque domus numero proprias implere sacrato,
Nec te spes reuocet sub dulcia regna Suranae.
Quicquid ibi potus remanet uel quicquid edendum,
Omnia saeua fames nosmet consumere cogit.
Te sed Igona suis iam piscibus atque Sigona,
Te pascant, satient et tota Senonia Bacchis,
Et si cornutus ueniat ad fercula ueruex,
Illum sacra prior benedicat bucca parentis.
Tunc alii atque alii Multoni membra per aulam
Discerpant rapiantque sacro cum carmine laudis.
Sis memor Albini, calidus caminator ad ignem
Dum sedeas laetus, Samuel, per saecla ualeto.

## LXXVIII.

O uos, est aetas, iuuenes, quibus apta legendo,
  Discite: eunt anni more fluentis aquae.

V. 6 inponunt *Lugd.* 7 includantque *Lugd.* 8 Neque est *Lugd.* 9 horis] *sequitur in Lugd. cod. versus:* sic mala sacra fames exactor dispulit illos. 15 Qui$^{c}$quid ibi. 16 seua *Lugd.* 18 satiant *Lugd.* bachis. 19 ueniet *Lugd.* berbex *Lugd.* 21 multoni *Lugd.* menbra. 22 discerpent *Lugd.* rapiant sacro *Lugd.* laudor, *corr.* laudis. 24 samuhel *Lugd.*
LXXVIII. *Cod. Bern. 394 s. X. f. 227ª.*

Atque dies dociles uacuis ne perdite rebus:
Nec redit unda fluens nec redit hora ruens.
Floreat in studiis uirtutum prima iuuentus,
Fulgeat, imago laudis, honore senex.
Utere quisque librum . . . felicibus annis
Auctorisque memor dic: «miserere Deus.»
Si nostram, lector, festucam tollere quaeris,
Robora de proprio lumine tolle prius.
Disce tuas, iuuenis, ut agat facundia causas,
Ut sis defensor, cura, salusque tuis.
Disce precor, iuuenis motus moresque uenustos,
Laudetur toto ut nomen in orbe tuum.

## LXXIX.

Constantine, meis opus est non promere uerbis,
Editus ut crinitorum sis stemmate regum,
Post Antenoridae deliramenta ruinae
Cum tua progenies Romanas rexerit arces
Et mundum dicione sua tenet imperiali,
Illaque te sanctum meritis agat esse parentem.
Nunc etiam natura notat, uelut aura per auras.
Nempe tuo canos sensus in pectore gestas
Et manibus libros et cultos semine campos
Ore teris uel mente refers, ut plenus odoris
Frugiferi spinisque carens sis culmus opimus,

V. 6 fulgoat, *corr.* 7 *post* librum *una vox intercidit.* 13 praecor. 14 laudetur, r *in ras.*

LXXIX. *Cod. Bern. 394 s. X f. 227*ᵇ *sine titulo.*

V. 1 ONSTANTINE. 2 Aeditus. 6 parentum. 11 *fuit:* frugiferis.

Quo granum superi condaris in horrea caeli.
Te libet hinc nostro mihi concelebrare cothurno.
Inclite doctor, aue, pietatis fultus oliuo!
Qua te laude canam? Verbis quibus ora resoluam?
Materia fandi ductus panegyricus extat.
Copia set potior fastidia grandia gignit.
Quique uigere cupit saeclo laudabilis acto,
Muniat hic mentem doctrinae spermata tantae,
Conteris unde caput colubri planta tenus atri
Allidisque petrae Babylonica germina Christo.
Namque tuas longum est magnas percurrere laudes,
Iamque suos cursor cum raptim duplicet actus,
Supprimo plura tacens praeconia digna relatu.
Tu quoque, cum caeli rimeris Dindyma clari,
Omnibus es factus, iubet ut pius omnia Christus.
Esse manet nostrum, sub quo constanter in aeuum
Omne, quod est, licet ac pure quicquid fore gaudet,
Id rursus tristem finis capit indere sortem.
Plurima praeteriens laudum tibi phillara necto,
Quem claudunt adamantinis sinuamina cordis
Vinclis aeterno nectentes saecula nodo.
O meritis felix, est cui sapientia nutrix,
A puero uestit, callem quoque praeuia nectit,
Cuius in ore pio cordis simul in penetrali
Infudit flauis sua cerea mella canistris,
Ut te magnificem, prae cunctis semper amandum,
Pectore sub cuius etiam sibi nobilis aulam
Struxit et eximia uirtutum luce poliuit,
Unde fluit nobis, qui longis iungimur oris,

V. 13 coturno. 16 panagericus. 17 pocior. 18 seclo acto. 19 Hic muniat, *cum inversionis nota.* 21 babilonica. 25 dindima. 29 cupit, *corr.* capit. 25 impenetrali. 37 magnificum.

Magnum felicis plene syntagma salutis.
Non ego te miror, sanctae pietatis amator,
Indole uirtutum uariis rebusque saporum;
Plebis ut aura sapit mea uel dilectio credit
Simplicitate tua, quantum decor asse talenta.
Hanc supra castae conseruas iura columbae,
Astu cum uafri serpentis mente sagaci,
Denique, si uerum constat, quod corporis actus
Signum sit mentis, si animus quoque panditur actu
Corporis, es nostro tali tunc dignus honore,
Iudicio qualem suffit tibi fama per orbem.
Comis, amate diu, doctor dulcissime fandi,
Rhetorici cultus lumen, tibi quid loquar apte?
En, sine te mihi conditum penitus sale nil fit.
Stat nam quid cuiquam facere absque iuuamine stul-
Mentis quo geminae surgit perfectio uitae. [tum?
Aggrediar siquidem celsum conscendere montem,
Nomine qui diuo faciem propior sit Olympo,
Oris et in Zephyrum laxentur concaua densum:
Inde tui capiant aliquid quo flaminis aequi,
Ut mihi materies de te sit sermoque per te.
Eia, cara chelys, protelans uocibus aptis
Carmina pange uiro, morum probitate colendo,
Sola Sophocleo quae sint condigna cothurno.
Hunc deus elegit, propria quoque dote beauit,
Ut ualidi nobis si uerbi mysteriarchus
Solus et in terris alter prostet Benedictus,

---

V. 41 sintagma. 44 dilectito. 49 si animus] sanimus. 51 corpori[s]. 53 rethorici. 58 fatiem. 59 zephirum. 62 chelis. 64 suffocleo coturno] *cf. Verg. Ecl. VIII v. 10:* Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. 65 proprio. 66 misteri (*fuit* misteria) archesi. 67 BENEDICTVS.

Qui bene gramineis paradisi iuuit in actis,
Indicans domui regem propriae fore caeli
Te lumen uere meritorum nobilitate.
Es, fateor, comis, morum probitate celebris,
Mente superna tenes, mundo bonitate renites.
Hic probitatis honos, illic uenerabilis heros;
Te celebrant cosmi per climata quique triquadri,
Maxime Remigii tuguri fratres tibi fidi,
Armis iustitiae fretus quos atque sophiae
Desmate amicalis uinxisti laetus amoris,
Te patribus famulum praebensque minoribus aequum.
His facies hilarem, his et testatur herilem,
Et paries uno sic surgit uterque lapillo,
Cingi quo petimus, fiat hoc simul, efflagitamus.
Quis tam Cinyphiae mentis fuit atque sinistrae,
Ut post felicem per saecula semper amorem
Facundumque tuum te nollet habere patronum
Ac semper socium dominum et sine limite iustum?
Es Christo carus, cuncto populo uenerandus.
Vultu conspicuus, mentis pietate decorus,
Luminibus geminis sub frontis tegmine fixis,
Nubila ceu caeli radiis solis decorantur,
Iustitiae speculum nec non psalmatio regum,
Lumen doctorum decus et specimen monachorum.
Gratia, fama, fides tecum gradiuntur alacres,
Ast hilarem mentem dant fidos inter amicos,
Et faciunt toto notum sine crimine mundo.
O utinam fieri uelles pars maxima nostri!

---

V. 68 grammineis. 77 Inditans. 72 renides, *suprascr.* tites = uel ites = renites. 75 REMIGII. 76 iustiæ. 77 letus. 78 prebensque. 79 faties. 82 cynifiæ. 90 Iustiæ$^{ti}$. 92 te cum. 93 fa$^{ci}$unt, *cum ras. post* fa.

Esses quam carus, quanto fruereris honore!
Nobilis occulto germen uelut arboris aeuo
Cordibus hinc amor in nostris inolesceret amplis.
Sed quia nobiscum, praesens cum forte maneres,
Agnoui fraudem uerbis cum saepe politis
Frustra nouebas ad nos iterum repedare,
Tunc bene callebas domum, se res ut haberet;
Inde meas ignis uaporabat namque medullas,
Qui modo me torret flammis crepitantibus acris,
Glutine me iunxi quoniam tibi dulcis amoris.
Hoc tua multiplices odas mihi uerba dicante
Perpetuo conseruo loco mihi saepe legenda,
Mentio felicis nostri sint haec ut amoris,
Pagina laetificet, praesentia cui tua non est,
Sermoque conciliet, uisus quem cernere differt.
Haec mox composui uestro compulsus amore,
Et paupertinis pones compluscula uerbis.
Impendi me uerbosum, tamen hoc amor egit.
Quod superest, etsi uoto frustor uehementi,
Aeternum cupio, laetus bona tempora ducas,
Exaudire simul millesima prospera de te,
Constantine, decus nostrum, per saecula salue.

## LXXX.

Conuenio signis, quem conuenisse loquelis
O utinam quirem, transmisso tempore, fratrem

V. 97 Nobilis] *cf. Horatii carm. I, 12 v. 45:* crescit occulto uelut arbor aeuo. 100 sepe. 102 seres. 104 flamis. 106 dicante. 108 nostrae sint hec. 109 letificet. 111 hec. 114 et si ueementi. 115 letus temporalia, *corr.* 116 melle sima dete. 117 CONSTANTINE.

LXXX. *Cod. Bern. 394 s. X f. 230ª.*

Cautum, peruigilem, signatum uoce Bouonem,
Qui me prouexit, qui laudibus extulit olim!
Qui si forte meos mores cognosset et actus,
In memet laudem, fateor, non diceret ullam.
Set quoniam magni duxit me laude beari,
Laudandus mihi semper erit, dum uita manebit,
Mirandum sed ei, quo tantus fluxerit ardor
Tantaque nesciti creuit dilectio fratris,
Ut me laudaret, quem nondum creuit ocellis,
Nec confedustum sibi iam sociarat amicum.
Sentio, credo, bonum, uena qua prodiit illud,
Gens, quacumque uenit physi, remeabit ad ipsam.
Nempe genus hominum peperit natura creatrix,
Quod tractare bonum semper faciendo suescit.
Haec est illa deum iugiter generatio quaerens,
Traduce de cuius te exortum prodis, amice,
Dum cantare meas laudes contendis et odas,
Dum famam nomenque meum dispergis in auras,
Dum studium meritumque meum depromis inaltans.
Sic bona, quæque geris, tibi contulit inclita physis,
Fauit et hisce bonis rerum prudentia felix.
Ante pilos tibi quae uenit, tecum quoque gliscit,
Te puerum fouit iuuenemque uirumque docebit,
Si maneas te intra nec te quaesiueris extra,
Si coeptis posthac studiis sudando fruaris,
Si dorsum scuticis submiseris ipse poësis,
Sique manum ferulae subduxeris inde sophiae.
Ast quia condignas nequeo tibi promere laudes,
Saltem aliquas scribendo tuas uolo pandere uires,
Quae tamen has poterit dumtaxat prendere lingua,

V. 8 michi. 12 confedustum, *sic.* 17 querens. 25 decebit, *corr.* 26 quesiueris. 27 ceptis. 29 ferule. 32 prehendere.

Cum tibi uirtutum faueant insignia clara,
Cum sic uir sapiens, quam magnis uiribus ardens,
Pollens ingenio, sophiae sectator, amator,
Fossor Pierius, Musarum semper amicus.
Pierides cum te doctum fecere poëtam,
Te docuit Clio coniuncta sororibus octo,
Felicis cum sis depastus prata Capellae,
Philologiae te septem docuere puellae.
Ergo polum super adtollens caput erigis usque.
Ast ego quem taetris tenebris inscitia condit,
Tectus obumbrificor, sophiae ceu temptor et exsors,
Fonte caballino qui numquam labra perunxi,
Stertens Parnasi nec umquam somnia creui,
Philologiae quem numquam nouere ministrae.
Despicor a doctis, mentis uelut impos et artis:
Ergo fouens latebram paueo sustollere cephal.

---

## LXXXI.

Cespes puluereus Wifordi quod tegit artus,
  Hoc meruit limo effigiatus homo.
Haud feras hunc dignum mortis sub iure teneri:
  Quantum sol radiis, splenduit ex meritis.

---

V. 35 sophyae. 36 pieriu'. 42 tetris. 43 sophyae exors. 44 Fonte] *cf. Pers. prol. v. 1, 2:* Nec fonte labra pollui caballino, Nec in bicipiti somniasse Parnaso. nomquam. *corr.* perunexi. 46 phylologiae. 47 uelud eephal = cephalen. *In fine* EXP. = EXPLICIT.

LXXXI. *Cod. Bern. 36 s. X–XI f. 140ᵇ. Praemissum est nomen* SVCHERIVS, *quod num ad carminis auctorem referendum sit, parum liquet.*

V. 1 WIFORDI. 2 humo. 3 tener . . 4 quantum] *hoc incerte legitur.*

Carnotum praesul nostri fuit inclitus abbas,
Se prudenter agens, prouide cuncta gerens;
Planctibus inmodicis imo de pectore fusis
Istic sunt maesto membra locata tapho.
Hunc, Benedicte pater, sacris absolue putelis,
Quo functus mundo uiuat in axe dei.
Octo de numero nomen qui ducit et imbre,
Sextis in Nonis creuit ab orbe rapi.

---

## LXXXII.

# VERSVS DE SCACHIS.

Si fas est ludos abiectis ducere curis
Est aliquis, mentem quo recreare queas.
Quem si scire uelis, huc cordis dirige gressum,
Inter complacitos hic tibi primus erit.
Non dolus ullus inest, non sunt periuria fraudis,
Non laceras corpus membra uel ulla tui.
Non soluis quicquam nec quemquam soluere cogis;
Certator nullus insidiosus erit.
Quicquid damnoso perfecerit alea ludo,
Hic refugit totum simplicitate sui.

---

V. 5 presul. 7 immo. 8 mesto. 9 BENEDICTE putelis, *sic.* 11 et imbre] *mensis Octobris nomen significatur, quod in medii aevi codicibus Octimbrem legi constat; mortuus ergo iste Wifordus Nonis Octobribus.*

LXXXII. *Cod. Einsidlensis 365 s. X—XI, p. 95 et 94* (A); *praeterea versus 65—98 in cod. Einsidl. 319 s. X p. 298 scripti sunt praemisso titulo:* DE ALEAE RATIONE (B).

V. 2 aliquid.

Tetragonum primo certaminis aequor habetur
Multiplicis tabulae per sua damna ferax.
Quamlibet octonos in partem ducite calles,
Rursus in oblicum tot memor adde uias.
Mox cernes tabulas aequi discriminis octo,
Octies ut repleas aequoris omne solum.
Sunt quibus has placuit duplici fucare colore,
Grata sit ut species et magis apta duplex.
Dum color unus erit, non sic rationis imago
Discitur: alternus omne repandit iter.
Illic digeritur populus regumque duorum
Agmina: partitur singula quisque loca.
Quorum quo numeros ludenti rite patescat,
Post bis quindenos nouerit esse duos.
Non species eadem, nomen non omnibus unum:
Quam ratio uaria, sic neque nomen idem.
Nec color unus erit diuisis partibus aequis:
Pars haec si candet, illa rubore nitet.
Non diuersa tamen populorum causa duorum:
Certamen semper par in utroque manet.
Sufficit unius partis dinoscere causas;
Ambarum species, cursus et, unus erit.
Ordo quidem primus tabulas diuisus in octo
Praefati ruris agmina prima tenet,
In quorum medio rex et regina locantur,
Consimiles specie, non ratione tamen.
Post hos acclini comites, hinc inde locati,
Auribus ut dominum conscia uerba ferant.

---

V. 12 fero$^{a}$x. 16 ocies. 19 racionis. 20 rependit. 26 racio. 36 racione. 37 hic inde loca$^{n}$ti. 38 ferat] *Patet istam* n, *quae* ferat *vocabulo superinponenda erat, falso ad vocabulum* locati *ascendisse.*

Tertius a primis eques est hinc inde, paratus
Debita transuerso carpere calle loca.
Extremos retinet fines inuectus uterque
Bigis seu rochus, marchio siue magis.
Hos qui praecedunt (retinetque is ordo secundas
Aequoris), effigies omnibus una manet:
Et ratione pari pedites armantur in hostem
Proceduntque prius bella gerenda pati.
Liquerit istorum tabulam dum quisque priorem,
Recta, quae sequitur, mox erit hospes ea.
Impediat cursum ueniens ex hostibus alter:
Obuius ipse pedes praelia prima gerit.
Nam dum sic uni ueniens fit proximus alter,
Dissimiles capiat ut color unus eos,
Figendi fuerit cui primum oblata facultas,
Mittit in obliquum uulnera saeua parem.
Obuius ex reliquis dum sic fit quisque, ruina
Hac praeter regem praecipitatus erit.
Quilibet hic ruerit, non ultra fugere fas est:
Tollitur e medio, uulnere dum cecidit.
Solus rex capitur nec ab aequore tollitur ictus,
Irruit, ut sternat, nec tamen ipse ruit.
Hic quia prima tenens consistit in aequore semper,
Circa se est cursus quaeque tabella sibi.
At uia reginae facili ratione patescit:
Obliquus cursus huic color unus erit.
Candida si sedes fuerit sibi prima tabella,
Non color alterius hanc aliquando capit.

---

V. 39 aeques. 40 calle] colla. 43 praecedit retinetquis. 45 racione. 48 recte. 53 fingenti oblata] lata. 58 dumque cadit. 61 tenet, *suprascr.* us = tenens. 62 quaeque] quemque, cf. v. 82 uia *supra lin.* racione. 65 Candida] *Hinc incipit alterius codicis Einsidlensis fragmentum* (B). 65 sedes] fides B. 66 alterius] *an* alternus? ha$^{n}$c A hinc B aliquanda B.

Hoc iter est peditis, si quando pergit in hostem,
Ordinis ad finem cumque meare potest.
Nam sic concordant: obliquo tramite, desit
Ut si regina, hic quod et illa queat.
Ast quos uicinos dominis curuosque notaui,
Transuerso cursu sat loca pauca petunt.
Istorum fuerit positus quo quisque colore,
Primo dissimilem non aliquando pete.
Post primam tabulam mox fit tibi tertia sedes,
Qua fit reginae, dissonus ille uia.
Praeterea cursus equites gyrosque facessunt,
Sunt quibus obliqui multiplicesque gradus:
Dum primam sedem quisquis contemnit eorum,
Discolor a prima tertia cepit eum.
Sic alternatim tenet hunc illumque colorem,
Quaelibet ut cursus esse tabella queat.
At rochus semper procedit tramite recto
Utque datur ratio, porrigit ille gradum.
Quattuor in partes gressum distendere fas est
Itque uno cursu tota meare loca.
Hi certamen habent equitesque per horrida bella,
Ut, si defuerint, praelia paene cadant.
In quibus et reliquis extat custodia sollers:
Inconsultus enim praelia nemo petit.
Cuique datur custos, ne incautum uulnera sternant:
Solus, heu, facile, si petat arua, ruit.

---

V. 74 non B nam A. 75 tercia AB. 76 uia] uiae AB. 77 preterea A aequites A girosque AB. 79 contempuit A. 80 tercia A cepit eum] carpit eum A carpit iter B. 81 hu$^{n}$c B. 84 racio AB. 85 quatuor B. 87 Hi] hic AB aequitesque A. 88 proelia B pene A poene B cadunt A. 90 proelia B.

Cum uero cuncti certatim praelia densant,
Hostis in hostilem fit celer ire necem.
Hanc rex deuitat, hac numquam sternitur ille,
Hoc fato reliquis amplius ipse potest.
Dum tamen hunc hostis cogit protendere gressum,
Si conclusus erit, praelia tota ruunt.

---

## LXXXIII.

# CARMINA LVDI SCACHORVM.

Ludum scachorum si tu uis scire decorum,
Hoc carmen, lector, discas et ludere gliscas.
It pedes ad bellum, prior incipit ille duellum,
Africus in triuiis locum capit ex inimicis,
Miles ex obliquo puncto mediante relicto
Prosilit et fortem depellit fortiter hostem.
Linea si pateat, rochus capit omne, quod optat.
Vertit in obliquum regalis femina passum,
Rex loca circa se clipeo defendit et ense.

---

V. 93 proelia B. 94 fit] *an* sit? 96 fato] facto AB. 97 cogit B cobit A. 98 proelia B.

LXXXIII. *Cod. Bern. 531 s. XV f. 50*$^{b}$ *et f. 191*$^{a}$. *Priore loco titulus deest. Distinxi litteris* A *et* B.

V. 1 scacorum A. 2 discas lector A. 4 Affricus AB locum parat A. 8 uertat A. 9 deffendit AB ense. Finis AB.

## LXXXIV.

# VERSVS ACBRHANNI DE LVDO TABVLARVM SECVNDVM NVMERVM.

Ludis qui plano tabulis de stipite sectis,
Hoc, docet Acbrannus, disce locare modo.

EXPLICIT PRAEFATIO. INCIPIT DE PRIMO LVDO.




Primo tres impone loco totidemque secundo
Et sede in tripla sterne cubare tria,
Ordine quo subtus distinctim linea rursus
Altera disponat tres habitare triplos.
Inter bis trigonos dextra considere ternos,
Laeua inter duo tres stare iubeto tria.
Ter tripla summo imo dextra laeuaque recense,
Angulus in quadro finis eritque caput.
Ter singillatim quadruplex dat linea ternos,
Bis fingit duplex fronsque latusque nouem.




---

LXXXIV. *Cod. Bern. 299 s. X f. 29*[b]. *In titulo:* TABVLAR. SCD̃M NVMER. *Prima figura ter posita est.*

V. 3 EXPLIC. PF̃. 7 dextris. 8 laeua] leuno. 9 leuaque.

Inter bis triplices trigonatus pullulat unus,
Ter geminus geminos, hinc uidet, inde triplos.
Dorso quaeque suo simplum fert linea ternum,
Summo ipsius utro dupla sedentque tria.

## VERSVS DE SECVNDO LVDO.

| | III | I | III | I | III | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| III | | | | | | III |
| | III | I | III | I | III | |

Tres inter primos unum mediosque repone,
Extremis unum sic mediisque loca.
Alter et ordo trium, sparsim qui subiacet infra,
Simplum bis capiat, ceu tulit ordo prior.
Unus qui quater appositus subterque superque
Climata per statuet quattuor esse nouem.

| | III | III | III | |
|---|---|---|---|---|
| III | | | | III |
| | III | III | III | |

Ad se ex bis binis rapiat quisque angulus unum
Et mediis numeri pondere maior erit.
Binos cuique aufer, duplo ferat angulus unum,
Cuique duos medio post quater adde triplo.

| | II | IIII | II | |
|---|---|---|---|---|
| IIII | | | | IIII |
| | II | IIII | II | |

In medio quadra congestat mox regula quinos,
Initio primos fine duosque parit.

V. 13 pullat, *corr.* fullat. 18 extremis *Peiper*] extremus.

Stringe latus quadrum, ternas ibi collige sedes:
Fronte quadro nouies inueniesque quater.




Semita producet confestim prima nouenos
Totque secunda geret, tertia quarta nouem,
Quinque cubant laterum tergo sedile quaterno,
Calce et principio tot residentque duo.
Bis quinos inter duplex consurgit ab uno,
Inter bis duplos aspice quinque semel.
Hoc ita conexum ludi disperge columbar,
Quarto ut primum ter tramite iunge triplos.




Extemplo remouendo foras duo bina supersunt,
At uia parturiet quadruplicata nouem.

## VERSVS DE NVMERO PRIMI LVDI.

Tres primo occurunt duo deni pergere ludo,
Sectim bis terni quattuor esse probant.
Primus bis seno uultu par ludit adesse,
Bis duo denum se conuocat unus ibi.

## VERSVS DE NVMERO SECVNDI LVDI.

Septenos quater introrsum iocus implicat alter:
Hinc pede septeno forma quadrata labat.

---

V. 38 quarto] *an* quadro? triplo. 43 conuocat] *an* conprobat? 45 introrsum *Peiper*] intorsum *cod.*, *an* in dorsum?

Est quater et decies inibi par nomine primus,
  Unus bis decies bis pateatque quater.
Structi bis gemina ludis ex parte quadrata
  Undique perfectos inseruere nouem.
Septeni, mirum, latere ex utroque quaterni
  Sic peperere pares ludificando nouem.

Versifico passu ludum memorare docentis
  Acbranni lector mente uoceque uale!

---

## LXXXV.

# SORS CVIVSDAM DE XX CHRISTIANIS TOTIDEMQVE IVDAEIS.

Bis duo nam niuei praesunt et quinque nigelli,
His supponuntur clari duo postque secuntur,
Unius et taetri interimunt uestigia terni.
Albi lacte magis, unus albus et alter habetur.
Hos duo fuscati, crystallini quoque bini

V. 49 ludi sex. 51 septeni mirum] septem nimirum *Peiper*. 54 menteque uoceque.

LXXXV. *Cod. Bern. 704 s. XII f. 11ᵃ. Aenigmatis solutio versibus 9 et 10 inclusa separata a ceteris legitur ibidem f. 14ᵃ: praecedit ibi carmen, cui titulus* ammonitio uictoris pape *praescriptus est. Cf. Riesei anth. Lat. II p. 185 adnot. In titulo habebatur* sors eiusdem, *sed* cuiusdam *repositum.*

V. 1 nam] nunc *Rieseus* et V. 3 tetri. 4 mag̃. albus *suprascr.* et alter habetur] *pro his apud Rieseum habes:* Maurus quoque nectitur ipsis, Candidus inseritur, niger unus et alter habetur. 5 hos duo] *pro his Rieseus exhibet ex codice Valentiano 394 s. XI f. 47ᵇ:* His cristallini sociantur in ordine bini. cristallini.

Tres titubant nigri lactantis robore uicti.
Post duo coruini et niuei sunt denique bini,
Orbem tum furuus demum determinat unus.

ITEM DE SORTE SVPRADICTI EPISCOPI.

Quattuor et pentas, duo monas tres mias unus,
Hinc dias ambo, trias, unus duo et duo monas.

---

## LXXXVI.

## DE CIRCVLO QVOMODO TRAHATVR NORMA IDEST LIVELLVS ET QVADRVM VEL QVADRATORIVM.

Circinus a norma quid distet, suspice, lector,
Cum sit utrique modus similis ratione trianguli.
  Tres commissuras recipit simul undique fixis
Norma, uagis adhibenda tholis, ut regula triplex
Hanc aequalis agat pedibus permensa duobus
Singula, quod Graium specie satis exprimit alfa.
  Circinus ob rei spatium patet ocius omnes
Has commissuras uarians, quae firmiter haerent,
Dum formatur apex et circumducitur orbis,
Quo normae natura uenit seu formula quadri.

---

V. 7 et] ac *Rieseus* sunt *om.* 8 tum] tunc *Rieseus. Post v. 8 apud Rieseum haec solutio sequitur in cod. Valentiano*: Ordine dispositi damnentur sorte noueni. Styx inimica suos consumpserit ante nigellos, Quam clari uitam perdant corporibus aptam. SVPRADICTI EPISCOPI] *praecedere carmen Victoris Papae supra significavi.* 9 quatuor pentas. *corr.* penta

LXXXVI. *Cod. Bern. 134 s. X fol. ultim.*

NORMA ID̃. 4 adhiben$^{da}$. 5 æqualis. 7 spacium otius herent. 10 Quo, *suprascr.* s. orbe.

Nam ter siue quater diuisus partibus aequis
Circulus ad normam diuerso proficit usu.
A centro tantum quadri natura patescit.
At melius centro trahitur, qui forte liuellus
Dicitur, ut normae quadroque haec portio detur.
Ipsi equidem suspensa iuuant examina massae,
Unde superficies aequato uertice uibrant.
Ad sphaeras circosque dehinc erit utile nosse,
Quid pars sexta sui, quem circumduxerat, orbis.
Circinus est punctis necdum labentibus haerens.

---

## LXXXVII.

Efficitur quinis symphonia sescupla phthongis,
Post epitrita sonos gaudet retinere quaternos,
Diplasiam iunctae quae reddunt dulciter ambae.
Addita triplasiae triplam format diapente
Constans ter quinis, post quas est quadrupla [phthongis,
Quae bis hemioliam, bis habet nec non epitritam.
Has, moneo, discas, qui musicus esse peroptas.
Pandit euarmonias series tum tertia chordas
Chromaticumque genus sibi uindicat ordo secundus,
Prima diatonicis resonant tetrachorda Camenis.

---

V. 14 LIVELLVS. 16 Ipsi, *suprascr.* s. normæ, 18 speras dehinc$^{erit}$ 20 herens.

LXXXVII. *Cod. Bern. 134 s. X—XI in panniculo codici insuto. Titulus deest.*

V. 1 sexcupla ptongis 3 Dyplasiam iuncte 5 post$^{quas}$ ptongis. 6 emioliam. 7 perobtas. 8 cordas. 9 cromaticumque. 10 dyatonicis tetracorda.

## LXXXVIII.

Orbis terrarum metasque situsque locorum
Computat hic sancti codex sapienter Orosi.
Mundum post factum, formatum post protoplastum,
Eius et excidium tangit pro crimine factum.
T . . . . . d . . . . . . . ui . . . . . . . .
Archa seruatis diuino munere paucis.
Hinc mala bella, neces, conflictus, proelia, lites,
Probra, simultates, incestus, iurgia, fraudes
E . . . . . . . . . . . . . rta . . . . . . . . . .
Nec non uindictae iusto sub iudice factae,
Donec in aduentus miserentis tempore Iesu
Bella docent pacem sparsam sopita per orbem,
Qua sibi subiectis totius gentibus orbis
Roma sub Augusto gaudebat rege modesto.
Dogma dehinc Christi per tempora cuncta cucurrit,
Princeps eximius donec regnaret Honorus
S . . . . . . . . . . . . . . . multis uel milibus annis
A . . . . . . defessas equitando resoluit habenas.
Huic simili calamo narrantis tristia libro
Pompeii clarus Trogi liber associatur
N . . . . . . . . . . . . . fact . . . . . . . .
N . . . . . . . . . . . . . . . . ex peregrinis
Sanguinis excelsi complures ac popularis

---

LXXXVIII. *Cod. Bern. 160 s. XI Orosium Iustinumque continens. Binis columnis hoc carmen scriptum est ipsi Orosii operi, quod praecedit, praemissum. Multa ob id periere, quod singuli versus aut caeruleo aut rubro aut viridi colore picti fuere. Versus fere omnes sunt Leonini. Deest titulus.*

V. 3 prothoplastum.

Pompeius Trogus uir morum dogmate clarus
H . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Seu nouitas operis siue res seu gloria laudis,
Ingens seu placuit sibi copia materialis
N . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Prompsit carminibus, quae digna referre uidentur
Nostraque cum Graecis uel Graeca patere Latinis
P . . . . . . . . . passus res sic fore . . . . . ausus
A . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Et cum res grauis haec soleat scriptoribus esse,
Ut gestas regum res dicant seu populorum,
Creditur Alcidae meritis par Trogus hic esse.
Q . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
D . . . . . . . . . . . . . per climata mundi
Oppida, rura refert, populosas tangit et urbes
G . . . . . . . . . . . . . . . . . simul et nationes.
Prorsus nil remanet, quin scriptitet ac manifestet,
Quae . . . . . . . . . . . . . . . edita particulatim.
Haec simul hic pandit ueraciter ac seriatim
E . . . . . . . . . . . . . . scripsit dogmata libris
I . . . . . . . . . . . . . . ea sum decerpere nisus,
Quae potiora sui lectoribus esse putaui.
U . . . . . . . . . . . . . . . . . . breuiando uolumen
E]t qui non posset simul et qui Graeca nouisset
C . . . . . . . . . . . . . posset . . . . . . . doceri.
Quod tibi transmisi, non ut mea discere possis
D . . . . . . . . . . . . . . . . . . ut iudice temet.
Aemula namque manus sic rodere desinet illud
E . . . . . . . . . . . . . . . . . . quoque diceris esse.

---

V. 30 grecis greca 41 Que 45 Que 47 greca 51 Emula nanque.

## LXXXIX.

Primus eras, nobis qui prima rogata dedisti,
Primus es, a nobis qui data prima rogas.
Cum das et repetis, dic, quid mihi praestita prosunt?
Ut repetita mihi, sic repetita tibi!
Hoc uolo, dum dubito, tibi sic dator, abba, quid optem:
Nil tibi sit, quod des et data non repetes.

## XC.

Quisquis Clementis clementer carmina quaeris,
Cernere Clementis haec carmina ne pigriteris.
Nam qui Clementis poscendo mira fateris,
Affectu mentis iam clemens esse uideris.

Huius Clementis cognoscere signa meretur,
Summi Clementis qui soluere iussa ueretur.
Angelicis manibus, Clemens, domus in maris undis
Est praeparata tibi . . . . . . . . . . .

## IXC.

Scribo nec ignoro, cur in scribendo laboro.
Utilis iste labor opibusque per hunc cumulabor
Nec de scriptura mihi prouenit ulla litura,
Cum sit honestatis iocus et studium probitatis.

LXXXIX. *Cod. Bern. 164 s. X. f. 2*$^{a}$. V. 5 obtem.

XC. *Cod. Bern. 164 s. XI f. 2*$^{a}$.

V. 1 queris. 8 Est praeparata tibi *manu post. add. Idem carmen in eadem pagina repetitum legitur alia manu s. XI, sed omisso hemistichio v. 8.*

IXC. *Cod. Bern. 136 s. XI f. 73*$^{b}$.

V. 4 stu$^{v}$dium.

## VIIIC.

| | |
|---|---|
| Nonae Aprilis norunt quinos | V |
| Octonae Kalendae assim depromunt | I |
| Idus Aprilis etiam sexis | VI |
| Nonae quaternae namque dipondio | II |
| Item undenae ambiunt quinos | V |
| Quattuor Idus capiunt ternos | III |
| Ternae Kalendae titulant senos | VI |
| Quattuor deni cubant in quadris | IIII |
| Septenos Idus septem eligunt | VII |
| Senae Kalendae sortiunt ternos | III |
| Deni septeni donant assim | I |
| Pridie Nonarum porro quaternos | IIII |
| Nouenae notant namque septenos | VII |
| Pridie Idus panditur quinis | V |
| Kalendae Aprilis unum exprimunt | I |
| Duodenae namque docte quaternis | IIII |
| Speciem quintam speramus duobus | II |
| Quaternae Kalendae quinque coniciunt | V |
| Quindenae constant tribus adeptis | III |

---

VIIIC. *Cod. Genevensis 28 s. X—XI post tractatum de computo Graecorum sive Latinorum.*

V. 1 none. 2 octone kalende. 4 none quaterne naque. 5 undene. 6 quatuor. 7 terne kalende sene 8 quatuor. 9 aeligunt. 10 sene kalende sorciunt. 12 quaterni. 13 nouene notantur. 15 kalendas. 16 duodene. 18 quaterne kalende. 19 quindene adeptis] *an* ademptis?

## VIIC.

# PASSIO SANCTI MAVRICII ET SOCIORVM VERSIFICE COMPOSITA.

Dum cohibere parat Gallos, quos conglomerarat,
Ne uariae gentes uarias habeant quoque mentes,
Mutua iurando sibi foedera Disque litando
Consociare manus iubet agmina Maximianus.
Cetera turba litat nec foedera nec sacra uitat:
Hoc Thebaea putat legio scelus; ergo refutat.
Centum ter geminis uicibis duo milia trinis
Nec non ter deni quadrupliciterque noueni
Christi sacra colunt: ideo sacra Dis dare nolunt.
Hi simul Octodorum fugiunt, ubi tura Deorum
Altera pars adolet, iurans quod cedere nollet.
Mox specie gratum, quod circumeunt iuga, pratum
Quos fuga lassauit, scelerum profugos recreauit.
Contiguus Rodano locus est, cui nomen Agauno,
Qui requiem lassis tribuit monumentaque passis.
  Audit ut, insolitum legionem ducere ritum,
Foederis edictum sperni castrumque relictum,
Idola ne colerent aliosue litare uiderent,
Contemptum legis plangit uesania regis
Atque suum, quare molitur eos reuocare,

---

VIIC. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 22ª.*

V. 1 coibere. 2 uarie uaria^s^nt q°; mentes. 3 federa. 4 maximia . . . . 5 federa uit . . . 6 Nec thebea] *possis etiam set conicere.* 7 duo milia it . . . 10 deo . . . . 11 nolet. 12 prat . . . . 14 Contiguis. 15 m°unumentaque pas . . . 17 federis. 18 litare . . . . .] uiderent *suppleri.* 19 reg . . .

Ore monens blando, sed et asper acerba minando:
«Quod mea decernit sententia, gens mea spernit
Atque Deos uiles meus audet dicere miles.
Et Dis et domino reus est sub crimine bino.
Ultio compescat ne praeuaricatio crescat!
Posse meum discant uel iussa sequi resipiscant!
Ad sacra cogantur uel, si renuunt, feriantur!
Huc reditum flectant, ne culpam uulnera plectant.
Praestat ad Octodorum regradi moresque priorum
Non aspernari, quam nescio quid uenerari,
Pristina sectari, quam pro nouitate necari.»
Nuntius haec recitat, sed grex pius impia uitat:
Quod rex hortatur, contemnens, quodque minatur:
In caede fortis, uacuus formidine mortis,
Caelica terrenis praeponens gaudia poenis
. . . . . ut afflictus declinat uiuere uirtus
Praemia morte breui meriturus perpetis aeui
. . . . . ille status ruat efficiat cruciatus
. . . . . fit talis: «Quid agat furor imperialis?
. . . . . ĩ murus non est aliqua ruiturus
. . . . . . dent igitur, liquido nobis aperitur.
. . . . . . daemonicus, quod Christo non sit amicus
Christum diligimus; quod spernit, amare nequimus.
. . . . . nefas remur, si templa Deum ueneremur
. . . . . . e sacrum fidei uiolare lauacrum.

V. 21 plando, *corr.* blando. 22 decerni. 25 Ulcio. 32 Nunci' at hec, at *del.* grax. 33 ortatur o contempnens 34 In caede] . . . . . de; *sunt enim versuum XXIV sequentium initia bibliopegi cultello resecta. Possis etiam:* in fide *scribere.* 35 Caelica *suppleri* penis. 37 Praemia *suppleri* eui 40 ĩ murus. 42 demonicus. 43 Christum *suppleri.* 44 nefas *suppleri:* . . . . as. 45 sepul[laua]crum.

. . . . . quidem fugimus, tamen ad tua iussa [uenimus
. . . . . Deo dantes nec, rex, tibi danda negantes.
. . . . . . . flecti scelus est, sed corpore plecti
. . . . . . uobis opus est, quam passio nobis.»
Nuntius ista refert: rex iram talibus effert:
«. . . . . mandatum legale sinam uiolatum,
. . . . . uindicta transire meos mea dicta
. . . . . . . ferent, ausis quod talibus haerent
. . . . . . . iussa dari, sacra non debere negari
. . . . . . . quit hortatus, compescat eos cruciatus.
Nec tamen est totum punire gregem mihi uotum.
Quis uelit hos temere pariterque uiros abolere?
Sorte placet numeri uel perdere uel misereri.
Ite! reseruatis aliis decimos perimatis,
Ut nece paucorum labet improbitas aliorum.»
Est ubi mandatum sanctis regale relatum,
Sanctus Mauricius, qui ductor erat gregis huius,
Roborat ad mortem tali sermone cohortem:
«Quod Christum colimus nec iussa nefanda subimus,
Rex stimulis irae iubet agmina nostra perire.
Pellite, quaeso, metum: laeti decernite letum!
Nam nil terrenum necis esse potest alienum,
Quod uel morbus edit uel quoquo fine recedit.
Consequimur multum, si Caesar passus inultum
Viuere nos sineret? Mors stare diu prohiberet!

---

V. 46 quidem] . . . . dem; *fortasse:* Sacra quidem. 47 . . . lō dantes. 48 ī flecti. 49 quam passio quam. 50 Nuntius *suppleri:* . . . . . t ista reffert 51 *Fortasse:* Non ego mandatum *suppleri:* . . . ndatum 52 *Fortasse:* Nec sine uindicta; *cod.* . . . . ndicta. 53 ᵗerent 55 ᵗortatus. 56 Nec *suppleri:* . . . . e gragem. 57 Quis *suppleri:* . . . . s uelit t hos. 65 ire. 66 leti. 68 uel quo quoque 69 Consequimur] sequimur cesar.

Quod modicum durat, quis non bene perdere curat?
Nam bene mactatur, qui caelica regna lucratur.
Hinc honor est partus, qui Christo deuouet artus.
Si caro uilescit, flatus super astra nitescit.
Nescit enim funus, sed habet sine limite munus,
Quod nequit os fari, lux cernere, mens meditari.
Ergo piae turbae spes siderea fit in urbe
Victorique Deum scitote parere trophaeum.
Iam timor abscedat, ne gloria tanta recedat!
Iam lictor ueniat: iam iam decimatio fiat!
Tela licet gerimus, rogo, ne referire uelimus:
Sit manus imbellis, sit uox omnisque rebellis.
Corpora subsistant, gladiis non arma resistant.
Sanguine, non telis, debet superare fidelis.
Vincitur inuictus, qui stat patienter ad ictus.»
  Constituere pati sermonibus his animati.
Nec mora: mucronem stringit Furor in legionem,
Dans decimos poenae, parti parcendo nouenae.
O quam crudelis pietas! o rixa fidelis!
Miles ut occidat, parcit: miserando trucidat.
At pius ut uiuat, uitae se munere priuat.
Hic studet ad flatum transferre luti cruciatum:
Iste labore luti flatus seruire saluti.
Ille necem differt: hic se mucronibus infert.
Praeuenit hic comitem, generat necis optio litem
Et dolet exsortem quisquis non sumere mortem.
Qui stat post nonum, putat ingens sumere donum.
Ter tribus expositis non est dilatio mitis.
Ille sed exultat, quem mox decimatio multat.

V. 72 celica. 77 pie turbe. 78 tropheum. 83 ressistant, *priore* s *inducta*. 85 pacienter adictus. 88 penæ nouene. 94 infrert, r *inducta*. 95 obcio. 96 exortem. 98 mittis. 99 decimacio.

Si liceat fieri, decimus cupit omnis haberi.
Qui pereunt decimi, ueniunt ad praemia primi.
  Cum sex centenis geminisque nouem duodenis
Quattuor occisis stat pars non territa uisis.
Qua ueluti tracta mortisque metu labefacta
Velle se seruari plus quam socios imitari
Caesar opinatur: iubet, ut sua iussa sequatur
Siue reluctantur, rursus decimi perimantur.
Hic Exsuperius, legionis signifer huius,
Regia signa gerens, sed non ea praelia quaerens
Parti, quae restat, uires ad uulnera praestat,
Dum sic hortatur, ne supplicium timeatur:
  « Quod non tormentis cedat constantia mentis.
Hactenus audistis: nunc cernere promeruistis,
Et comites uestri fieri meruere magistri.
A quorum meritis non degenerare uelitis!
Sed retinete fidem, contingat ut exitus idem.
Neue resistatis, moneo, licet arma feratis.
Quis uelit ulcisci potius, quam regna pacisci,
Quae sua sunt hominis solatio nescia finis?
Quo decoret, taceo, Deus agmina nostra trophaeo,
Quod praemium detur, quis hònor, quae palma
[paretur,
Quae cruor iste parit, cum Mauricius memorarit;
Haec magis utendo discuntur, quam referendo:

---

V. 100 leceat. 101 prima[1]. 103 quatuor spars. 104 tracta] *an* fracta? *Sed fortasse legendum:* quam — fractam — labefactam. 106 cesar. 109 Regia gerens signa praelia] *Fortasse* praemia *vel* pretia. 111 suplicium] *Anne ab his iam verbis signiferi oratio incipit?* 112 connstantia, *priore* n *del.* 113 Actenus accistis, *suprascr. m. II* audistis. 118 pocius. 119 solacia. 120 tropheo. 123 He.

Talibus utuntur, qui pro domino moriuntur.
Unde capessendum reor illud, non fugiendum,
Quod requiem donat morientibus hosque coronat.
Aspera nonne pati dubia sub sorte parati
Regi paremus plagasque necemque timemus?
Quis, cui spondetur, quod perpes gloria detur,
Si miser excusat, miser haec tormenta recusat,
Cum pro se stratos deus asserat esse beatos?
Nam se custodit, qui se pro te, Deus, odit
Atque metit laetus, qui spargit semina fletus.»
  Fulta piis uerbis non paret turba superbis
Nec sacra dignantur: quapropter item decimantur.
Hanc uim tormenti duo sustinuere trecenti
Sorte in sex acta reliqua nec parte subacta.
Cuius propositum manet exemplum stabilitum.
Inuitat princeps reliquos ad sacra deinceps:
Si contemnatur sua iussio, dura minatur.
Sed fidei pugiles reputando praemia, uiles
Caesareasque minas et qualescumque ruinas
Corporis esse putant, quia poenis gaudia mutant.
Optant ergo sequi socios, et muneris aequi
Participes fieri cupiunt moriendo mereri;
Neue diu tardent, sine sorte mori simul ardent,
Martyrii primos decus ut coniungat et imos.
  Caesar ut ad letum uidet omnem tendere coetum,
A solito cultu nullo titubare tumultu,
Plusque per arma mori, quam cedere uelle pauori,
Non numerare parat, quos frustra bis numerarat,

V. 129 datur. 130 hec. 133 letus. 135 idem. 140 contempnatur dura] *An:* dira? 142 Cesareasque. 143 penis. 144 obtant equi. 147 martirii unos. 148 cesar cetum. 149 solitu°. 151 Non] et.

Sed paritas fidei toti quod inest aciei,
Vindicat in tota, numerique sorte remota
Condicione pari decernit mortificari.
Frena dans irae uelut ad pugnam iubet ire
Ad comitum mortes fidas . . . . . cohortes.
Neu facinus dubitent, ne ciuica praelia uitent,
Praemia caedentis spolium iubet esse cadentis.
Mox Furor ad poenas sociorum laxat habenas
Pro spe mercedis contemnens crimina caedis.
Qui licet arma ferant, cum non euadere quaerant,
Nec tegitur parma quisquam nec dirigit arma,
Sed similis pecori patientia muta furori
Subiacet abiectis clipeis iugulisque retectis,
Nec gladiis debent modo uulnera, quae sibi praebent,
Ictibus aptando iugulum gladiumque premendo.
Prompta manus sceleri nullique uolens misereri
Nec iuuenum florem, senii nec transit honorem.
Ista libens tolerat, qui caelica praemia sperat.
Insistensque lucro scit nulli parcere mucro.
Sic pia turba cadit, sed ouans ad sidera uadit.
Gaudeat haec sedes, tam sacras cernere caedes!
Gaudeat obductus tam sacro sanguine fluctus!
Caesaris impietas nescit sibi ponere metas:
Corpora caesorum spectat fluuiosque cruorum,
Utque frequenter idem uideat, remoratur ibidem
Hac specie gaudens et in his epularier ardens.
Sic epulis eadem mixtam stupet area cladem.

V. 155 ire. 156 mortes, es *corr. m. II* fidas subidisque cohortes, *ut videtur; fortasse* sociasque *[cf. v. 159] vel* rabidasque. 158 cedentis spolium esse, iubet *supra lin.* 15 penas. 160 contempnens] *An* contemnunt? cedis. 163 paciencia. 166 p̃mendo. 167 promta nulli] *est genetivus casus.* 169 celica. 172 hec c$^{s}$edes cedes. 174 cesaris. 175 Corporum cesorum c$^{r}$uorum.

Pars etenim uiuit, pars altera uiuere siuit:
Hanc gladiis strauit cibus, hanc opulens satiauit,
Nitigenam rorem bibit haec, uomit illa cruorem.
Nomine Victorem uia detulit huc seniorem.
Utraque miranti, comedentibus appropianti
Iusto non uescas exercitus obtulit escas
Victori, canos eius ueneratus et annos;
Quaerens, cur comedit nec ab hoc horrore recedit,
Cur etiam plaudit, cuiusdam uocibus audit:
«Sacrilegam gentem, quae nescio, sacra colentem
Nostraque spernentem nec regia iussa sequentem
Ecce uides stratam, nostris gladiis laceratam.»
Victor ad haec plangit uehemensque senem dolor angit
Et detestatur conuiuia sicque profatur:
«Heu, cur tardaui? Cur non iter acceleraui?
Ut pariter metas meruisset debilis aetas!
Nam licet exclusus senio sit militis usus,
Corpus et effetum sit uiribus atque uietum,
Quid me tantorum comitem uetat esse uirorum?
Ut fuga sacrorum, contemptus daemoniorum,
Seruitium Christi turbae me iungeret isti,
Ut similis poenae fierem comes atque coronae!
Opto quidem poenam requiem meriturus amoenam,
Cum modo flens plaudet, cum flebit, qui modo gaudet!
Impie, quid clangis super huius caede phalangis?
Hi bene prostrati iam sunt super astra locati,
His deus arridet, diademate quisque renidet.

---

V. 179 siuit] *sc.* = desiit. 180 saciauit. 181 hec. 182 hunc, n *del.* 186 orrore. 189 seq̃ntem. 191 Victo$^{r}$ ad hec sene *supra lin.* 192 Et detest$^{t}$ur. 194 etas. 196 sit. 197 Quod. 198 Vel fuga demoniorum. 199 Seruicium turbe. 200 pene corone. 201 Obto penam meriturus abe amenam, abe *del.* 203 cede.

Vos male gaudetis, quia tandem suscipietis
Nequitiae fructum: tenebras, incendia, luctum!
Nam pius indultor, iustusque tamen Deus ultor,
Quae sua sunt, munit, quae sunt hostilia, punit.
Cuius amor faciat, uestro quoque munere fiat,
Ne mora longa bonis me destituat legionis!
Pone sequi detur, mihi cum simul ire negetur,
Atque fide similem faciat par poena sodalem!»
  Talia dum fatur, dum plura loqui meditatur,
Truncat eum lictor: sic scandit sidera Victor,
Atque gregem reperit, cuius collegia quaerit,
Munere laetari, cui nil ualet aequiperari.
Et quod idem fassus fuit aequo uulnere passus,
Praemia fert eadem, palma decoratur eadem.

---

## VIC.

# SERMO DE VITIIS ET VIRTVTIBVS: SOLITVDINEM ESSE PETENDAM.

Rus habet in silua patruus meus: huc mihi saepe
Mos est abiectis curarum sordibus, et quae
Excruciant hominem, secedere; ruris amoena,
Herba uirens et silua silens et spiritus aurae
Lenis et aestiuus et fons in gramine uiuus
Defessam mentem recreant et me mihi reddunt

V. 207 nequicie. 209 ᵗostilia. 212 simulatur negetur. 213 pena. 217 letari equiperari. 218 equo. 219 palp[ma].

VIC. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 25[a].*

1 sepe 2 que 3 amena 4 erba aure 5 estiuus 6 deffessam.

Et faciunt in me consistere! Nam quis in urbe
Sollicita et uariis feruente tumultibus extat,
Qui non extra se passim rapiatur et expers
Ipse sui uanis impendat tempora rebus?
Hinc amor, inde odium: timor hinc premit, inde cupido,
Inter se diuersa quidem, sed lege sub una
Ignaras ueri falso subdentia mentes.
Quattuor haec sequitur uitiorum exercitus omnis
Vix adeo est aliquis, qui non putet ista sequenda,
Vel fugienda putans, qui non tamen ista sequatur!
Quippe renitentem trahit impetus ipse ruentem
Et premit a tergo uelut in deuexa malorum!
Est ergo primum, turbis elabier et sic
Praecipitem fixisse gradum cursumque tenere.
Tum demum reditum festinet ad alta relictae
Praemia uirtutis, cui cura est ulla salutis.
Si graue forte putat, quoniam praerupta sequutus
Ardua moliri rursum nequit absque labore,
Esse putet grauius, in praeruptissima mergi,
Unde referre pedem uel ibi sine fine manere
Maximus hic labor est, illud sors pessima rerum!
Ergo, quod est leuius, prius aggrediamur oportet;
Si leue nil restat, quod restat, id aggrediamur!
Si malus es, noli peior uel pessimus esse!
Quod si sis etiam deterrimus, ad meliorem
Correpe paulatim statum! Nam maxima laus est,
Rem per difficilem summo superare labore.

V. 11 hinde, h *del.* p̃mit. 13 ignaros. 14 Quatuor hec uiciorum. 18 uelud in̄ uexa. 21 relicte. 26 refferre. 27 hic] *An:* hoc? *cf. sequens* illud. 32 Paulautim correpe statum. 33 per dificilem.

Non nisi contemptus potes hanc contemnere laudem.
Sed nimis impius est et homo praeposterus ille,
Qui sua sollicite curat, se despicit ipsum.
Frustra quippe lucris inhias, frustra colis agrum,
Incultae mentis damno si laederis ipse!
Nam si non sentis lucra uel dispendia mentis,
Deditus his solis, quae corporis inuenit usus,
Cum sensu careas, desperatissimus, aeger,
Non homo iam, sed humus uel bestia iure uocaris.
Hic de pestifera fit consuetudine morbi
Lethargo similis; sed et hinc euadere quosdam
Contigit ereptos mortis de faucibus ipsis.
Excitat hos aliquando quidem fortuna sinistra
Pulsans atque mouens socordia pectora: quippe
Casibus aduersis patet inconstantia rerum,
Nec fieri quemquam fugitiuus posse beatum
Indicat ipse dolor. Quid de fugientibus extat?
Nunc uero prosper rerum successus et ipsa
De non perdendis iam perdita sollicitudo
Suscitat ostendens etiam hac in parte laborem.
Excitat, ut uideant, quanto languore grauentur,
Sed non, ne ualeant, languoris pellere causas.
Qui dolet, qui metuit, patet hunc non esse beatum.
Qui perdit, quod amat, et amat, quod perdere possit,
Hic dolet aut metuit; sed non est ulla uoluptas

V. 34 Si contemptus. contempnere 36 sollicitat curat. 37 frutra quippe. 38 inculte dampno se dederis ipse, *ut videtur.* 39 dispendia se mentis, se *del* 40 inueit] *Fortasse scrib.* inuehit. *quamquam* inuenit *magis probatur.* 41 eger. 44 letargo. 50 quid de fugientibus extat] *Verba corrupta.* 51 succensus et ipse. 55 langoris. 57 quod per amat.

Rebus in externis, quae non cito perdere possis.
Ergo uoluptatum nullum facit ulla beatum:
Indicat hoc ipsi duplex fortuna fruenti
Tristis in amissis, aut anxia de retinendis
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . . . . . . . . . infestat et ipsum,
Qui cum nil habeat, multum tamen optat habere
Et qui plura cupit, cum tam sibi multa supersint.
His ita compertis mentisque sopore fugato
Morbi quaere fugam: nam sponte sua febrientem
Damnat apud medicum pereundi praua uoluntas.
Nec tibi differ opem, quoniam dilatio curae
Morte repentina non nunquam intercipit aegrum.
Ad resipiscendum praesens est aptior hora!
  Inter tot curas infinitosque labores
Aspice, quam breue sit, quod uiuimus! Omnia uita
Tempora praeterita mortis consumpsit imago:
Mortis imago tenet nihilominus omne futurum
Istud tantillum spatii breuis atque pusillum,
Quod uitiis praesens iam praeteritum fit et absens.
  Haec et plura mihi licet atque libet meditari,
Fronde sub agresti dum rure moror patrueli.

---

V. 59 quod non. 63 *In summa pagina versus unus resectus esse videtur; qui supersunt imi litterularum tractus, legi nequeunt.* 64 *Quae legi possunt, haec sunt valde corrupta:* eadem (?) cupiet os̃ infestat et ipsum. 65 obtat. 69 dampnat. 70 dilacio cure. 71 egrum. 72 apcior ora. 76 nichilominus. 77 spacii. 78 uiciis. 79 Hec.

## VC.

# CONTEMPTVS PRAESENTIS VITAE.

Vitae praesentis si comparo gaudia uentis,
Cum neutrum duret, nemo reprehendere curet:
Omnis in hoc mundo fidens est sicut harundo,
Quam uentus iactat fluuiusque simul labefactat.
Sunt mala mixta bonis humanae conditionis
Impare mensura. quia mixta bonis mala plura.
Non bene laetatur, cui flendi causa paratur,
Nec stat securus, qui nutat mox ruiturus.
Sic dare uita statum nulli ualet ista beatum,
Cum sit inaequalis, nunc lucida, nunc pluuialis.
Quod si forte daret, mors hunc tamen adnihilaret,
Quicquid uita dedit, tollens, dum uita recedit.
  Job de praesentis uitae breuitate querentis
Haec sunt uerba fere: « Nascens homo de muliere
Ut flos apparet: uenit aestus, protinus aret. »
Ergo sperne citam longamque praeelige uitam

---

VC. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f.* $26^{a}$ (A); *cod. Bern. 710 s. XII f.* $61^{a}$ (B); *cod. Bern. 434 s. XV f.* $24^{a}$ (C). *Titulus:* CONTENTVS P̃SENTIS VITE A, libellus de contemptu humanae uitae C, *deest in* B

V. 1 uite AC presentis C. 2 rep̃hendere AB conprehendere C. 3 arundo C. 4 quam] quem C *v. 5. 6 desunt in C.* 5 humane AB condicionis A. 6 bonis bona plura A. 7 letatur ABC cui] cum A. 8 qui protinus est moriturus C 10 inequalis ABC. 11 quod] quem C adnichilaret AC. adn$^{i}$laret B. 12 tollens] tollit BC 13 presentis C uite ABC q̃rentis AB. 14 hec AC natus homo C. 15 estus BC] *an* aestas? et protinus C. 16 uitam citamque preelige certam C.

Atque labore breui requiem para perpetis aeui,
Fortunae fragilis fiat tibi copia uilis,
Quae si uilescat, frustra, quem liquet, inescat.
Pauperibus large tua, dum tua sunt, bona sparge:
Heres nec curae tibi sit tuus, o moriture!

---

## IVC.

## DISSVASIO CVPIDITATIS.

Vos qui diligitis bona, quae retinere nequitis,
Et non diligitis, quae perpetualia scitis,
Humanae uitae planctus audire uenite,
Ut pernoscatis, quam uile sit id, quod amatis
Et resipiscatis, ne cum Satana pereatis!
Forma puellarum, deceptio mentis earum
Et iuuenum uultus citra barbam, sed adultus,
Quos leuitas morum laqueis innectit amorum,
Horae momento pereunt aequalia uento
Fitque cadauer humus, petit impia Tartara fumus.
Flent illos cari, nequeunt sed flendo iuuari.

---

V. 17 pete perpetis eui C pera perpetis eui A. *v. 18. 19 desunt in B.* 18 fortune C. 19 Que nisi C Qui si A liq̃t A linquit inestat C. 21 nec] non C cure ABC.

IVC. *Cod. Bern. 702 s. XI–XII f.* $26^b$*; praeterea cod. Bern. 710 s. XII f.* $61^a$ *exhibet v. 27—36, et cod. Bern. 434 f.* $24^b$ *versus 1—18 et v. 20—31 ceteris omissis. Dixi, ut supra,* A, B, C. *Titulus deest in* BC.

V. 1 que C. 2 vos qui negligitis que C. 3 humane vite AC. 4 ut cognoscatis C. 5 sathana AC perheatis A peretis C. 7 uel adultus C. 9 uno momento C memento A equalia AC. 11 iuuari] *Secuntur in C hi versus:* Qui tumulum cernis cur non mortalia spernis? Tali namque domo clauditur omnis homo.

Qui misere cenas metuens uacuare crumenas
Et tibi non parcis, noua dum marsupia sarcis,
Nescis, quae seruas, ad cuius opus coaceruas.
Aurum, quod nosti, seruatur forsitan hosti.
Mors rapiat, quod habes fietque caro tua labes.
Nec tecum tolles plenos rubigine folles.
Infelix flatus luet aeternos cruciatus.
Forsan et hic fletur, sed abest, ut flendo iuuetur.
Ostro uestitus gemmisque caput redimitus
Portans praeclarum, comedens bona deliciarum,
Ius mucronis habens et in omnia crimina labens,
Contemptor iuris et abutens iure securis,
Qui grauat atque premit, quos Christus ab hoste redemit,
Ut uenit hora, cadit, miser est, ad Tartara uadit.
Quod si ploratur, numquid plorando iuuatur?
Lingua facundi, qui sectantur lucra mundi,
Candida denigrant et nigra loquendo dealbant:
Cum dissoluuntur, nec nigra nec alba loquuntur.
Longum tormentum manet hos in ualle silentum
Nec lacrimis flentum fit poena minor patientum.

---

V. 12 tu misere C metuens] metuis A metues C cirumenas, i *del.* A] *Sequitur in* C: Diuiciis cedis animumque tuum male ledis. 13 cur tibi non C. 13 farsis C. 14 quid seruas C. 15 forsan seruabitur C. 16 rapiet C habes habes, *corr.* A. 17 Nec tu^e cum A plenas C. 18 infelix felix flatus luet cruciatus C eternos A. 19 si abest A flendo minetur A. 20 Hostro C. 21 portans preclarum C. 22 libens C. 23 secure^is A. 24 p̃mit A Christus *om.* C. 25 Dum uenit C cadit et miser ad C. 26 Quod qui A Sed si C, *an:* qui si? nunquid A nunquam C. 27 linga A linguis B facundi sectantes ludicra mundi C sẽclantis A. 28 loq̃ndo A. *v. 29 deest in B.* 30 longum, *in marg.* uel magnum B tenet hos C. 31 pena ABC minor pena C pacientum AB.

Singula quid memorem, in te, miserande, laborem?
In quibus insani studio uexantur inani.
Quod restat, totum facit assimilatio notum.
O miseram sortem, uiuendo quaerere mortem!
O mala fortuna, quam syllaba destruit una!

---

## IIIC.

## QVOD NON SIT EXPAVESCENDA MORS CORPORIS.

Ligna uoluptatis plantauerat apta beatis
Adae prouiso dominus Deus in paradiso.
« Cetera », dixit, « ede, sed ab hoc, ut ab hoste recede!
Quod tetigit ficum, nimis hoc erit», inquit, «iniquum,
Si propter ficum tibi me facias inimicum.
Quod si gustaris, sequitur simul, ut moriaris.
Qui uult morte mori, de ficubus applicet ori! »
  Forte die quadam mulier sua uenit ad Adam,
Ex eius costis mulier plasmata, sed hostis.
Vultu composito uenit placitura marito,
Ut, quod suaderet, cito persuadere ualeret.
Ille iacebat humi, quo posset ab arbore sumi
Dependens fructus, nostri primordia luctus.
Coniugis a laeua recubans tunc incipit Eua

---

V. 32̄ quid n memorem, n *del.* A] *an:* memorans? uite miserando B. 35 q̃renre, n *del.* A. 36 sillaba AB.

IIIC. *Cod. Bern. 702 XI—XII f. 27*ª.

V. 2 Ade. 5 Si propter] *Fortasse:* Ne propter. 7 ficᵘtibus hori. 10 Vultᵘo. 14 leua.

Pectore iam pleno serpentis ab ore ueneno:
« O mi », dixit, « homo, cernis, quae gratia pomo?
Cernis, quam uescam se nobis ingerit escam,
Per manifesta foris spondens occulta saporis?
Praeterea quare uellet Deus ista uetare
Poma tibi tantum numero de fructificantum,
Ni cibus ista daret, dare quod Deus ipse negaret?
Arborei fetus festina mandere laetus,
Quam tibi dó partem! » Mulier seducta per artem
Daemonis inscitum seduxit et ipsa maritum.
Ob scelus amborum numero crescente malorum
Exulat a pago paradisi tota propago
Et clamat: « Vae uae » successio flebilis Euae.
Sic non est igitur mirum, quod quisque moritur,
Ut non est mirum, si mandit Britto butyrum,
Quod Normannigenae potu satiantur auenae,
Quod nostros enses formidant Pictauienses.

## IIC.

## AD MONACHVM DETRACTOREM QVOD NVLLVS SIT DESPERANDVS DVM VIVIT.

Nec te uelle puto, nec te, Gaufride, saluto.
Nam cum sis purus et forsitan abba futurus,

V. 17 *Fortasse* uescâ—escâ. 21 ista. *corr.* ipse. 22 letus. 24 Demonis. 27 ue ue eue. 29 mandi britto butirum. 30 normannigene saciantur auene] *Hunc versum habes et in codice Bern. 48 saec. IX—X scriptum f. 192ª ita:* Et Normannigene saciantur potu auene; *praecedit illic hic versus:* Gallia nutrit equos, nutrit Burdegala mulos.

IIC. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 27ᵇ* (A) *et Cod. Bern. 710 s. XII f. 61ᵇ* (B). *Titulus in* B *deest;* MONACṼ A.

V. 1 nec te gillerme B.

Hos uelut extorres regni caelestis abhorres,
Si qui peccati nimio sunt fasce grauati.
Si conuertantur, non solum fasce leuantur,
Sed uitae mundae cumulo ditantur abunde.
Larga Dei pietas nescit sibi ponere metas,
Te non consulto, cui uult, miseratur inulto.
Quem uult, indurat, sine te Deus omnia curat.
Cumque sine curis sint iusti cum perituris,
Praemia cum poenis rectis moderatur habenis.
Sed quia nescimus, donec sine corpore simus,
Quem Deus a dextra, quem ponere destinet extra,
Securus nemo uiuit de fine supremo,
Nemo securus, in qua sit parte futurus.
Nam cum poenalis transgressio sit genialis,
Cui uult, ignoscit, a quo uult, debita poscit,
Verax et clemens, damnans et crimina demens.
Dignus erat latro primum cruce, deinde barathro.
Praemia pro poena dedit ille gratia plena.
Angelicam uitam duxisse ferunt Heremitam,
Nescio quem, pannis non usum pluribus annis.
Nec panis uictu nec aqua, mirabile dictu:
In culpam tandem lapsum semel, ut puto, grandem
Juste damnatum poena comitante reatum.
Ergo parce, precor, dum tolleris ipse per aequor,
Ventis iactatam uerbis lacerare carinam.

---

V. 3 Hos] Nos B uelud AB celestis AB aborres A. 5 lauantur A. 6 uite munde AB habunde B. 8 Te non B Et tamen A. 9 te *suprascr.* A. 10 sine turis A sui iuris B. 11 penis AB ᵗabenis A. 14 supmo A. 16 penalis AB gnⁱalis A gnalis B. 18 crimina clemens A. dampnans A. 19 baratro AB. 20 pena AB ille] *An* illi? *Nam dubito, num poeta primae declinationis ablatiri finitione terminali pro breri usus sit.* 22 Nescio qin A. 23 Hec panis uictum et aqua A 24 lapsam A ut poto A ut pote B. 25 dampnatum A dapnatum B pena AB. 26 pcor A equor AB.

## IC.

# CONMENDATIO CASTITATIS.

Ut flos in pratis, sic gratia uirginitatis
In muliere bona, maribus quoque prima corona,
Ad res corruptas quos non trahit ulla uoluptas.
Proxima castorum laus est uirtutis eorum,
Qui semel experti nolunt ad foeda reuerti.
Tertia non talis, prior est et proxima qualis,
Sed pars uirtutis tamen est et causa salutis,
Scilicet illorum, qui praegraue flagitiorum
Assuetumque malo retrahunt a crimine talum.
O bone Messia, de uirgine nate Maria!
Quam sunt felices, quibus hoc, mitissime, dices:
« Inter uirgineas sit portio uestra choreas
Cum quibus est aequum me, quos et pergere mecum ! »
Hos quoque mercedis ratio secernet ab haedis,
Quos uita munda decoras in sorte secunda.
Ultimus o utinam nostram regat ordo carinam
Ad uitae portum, paradisi scilicet hortum,
Quem colit aeterno gaudens per gramina uerno
Gens felix, cum qua, si non rosa, sim saliunca.

---

IC. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f.* $27^{b}$.

V. 4 Proxina. 5 Q semel noluit ad feda. 7 est *suppleri.* 9 assuatumque malum. 12 coreas. 14 racio edis. 16 o ut̃ nostram. 17 ad uite porteũ, ẽ *del.* ortum. 18 eterno.

C.

# DISSVASIO NAVIGATIONIS OB LVCRVM.

Qui uult scire minas tempestatisque ruinas,
Audiat et discat, quantum maris unda dehiscat,
Quem faciat sursum, uelut in decliuia, cursum,
Ut madeant stellae sparsae de rore procellae,
Ut mare conscissum metuendam pandat abyssum:
Haec et plura satis multum meliora relatis,
Audiat haec, inquam, sed non et sentiat unquam.
Credat narranti, cui non sunt munera tanti,
Ut propter lucrum fiat maris esca uolucrum
Vel lucri tantum spe fiat esca natantum.
Ille sibi credet, mea quem dissuasio laedet.
Quorum spe ductus pulsabit remige fluctus,
Fluctus pulsabit, quae dico, uera probabit
Et iam non uerbis, sed rebus credet acerbis.

---

CI.

# CONTRA SEDITIOSVM VVLGVS.

Ex quo caelestem meruit Sapientia sedem,
Iuncta Iouis lateri pars summo nata parenti,
Inuidia motus pugnat cum Pallade Bacchus.

---

C. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 28*[a].

V. 2 undā. 3 uelud. 4 stelle sparse procelle. 5 concissum abissum. 6 hec. 7 hec senciat. 10 spe *supra lin.* fiat escat. 11 ledet. 12 Quarum spe.

CI. *Cod. Bern. 702 s. XI--XII f. 28*[a].

1 celestem. 2 summo *supra lineam.* 3 baccus.

Decidit in terras a caelo coepta simultas
Nec nato Semele nec desunt castra Mineruae.
Quae diuersa sequi res est non ponderis aequi.
Altera quisque probus, at iners petit altera uulgus,
Illa uoluptati, sunt ista dicata labori.
Plures sunt igitur, qui Bacchica castra tuentur,
Hoc est: uina liquant, quam qui pro Pallade pugnant.
Unde nihil mirum, si plebs fremit ebria dirum
In sibi dissimiles rata nos uilissima uiles.

---

## CII.

## COMMONITORIVM INVECTIVVM AD OBSESSOS IN CASTRO.

Si circum circa surgant admantina claustra,
Si nouies solidi circumflua robora muri
Fumificet uapido conflatilis unda metallo,
Si cubet in portis et cauda nixa draconis
Rugiat igniferae deformis forma Chimaerae —,
Vos tamen, infames, acies homicida, dracones
Supplicium sceleris nullatenus effugietis!
Non quia terribiles tormenta tremenda fragores
Molibus impingant et uirgea texta refringant,
Nec quia multiplices importent undique mortes

V. 4 celo cepta. 5 Semele] *Hoc pro ablativo intellegendum, ut Vergilianum illud:* nate dea, *nisi maris* Semelae *scribere.* 6 Que equi. 8 uoluptatis, s *del.* 9 bache^c^a. 11 nichil pleps.

CII. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 28*[b].

V. 2 muro[i]. 5 ignifere chimerae. 6 hömicida äcies. 8 Non] nam.

Falx, aries, fundae, plumbata falarica, talpae,
Sed quia pro uiduis pugnat manus Omnipotentis,
Quarum uos lacrimae plus angunt obsidione.
Nam formidandus foris imminet hostis, at intus
Conscia mens secum gerit implacabile bellum.

---

## CIII.

## REPREHENSIO SVPERFLVORVM IN EPITAFIO IOHANNIS ABBATIS.

Quod multis annis durauit uita Iohannis
Nec sua, dum uixit, bona sollicitudo refrixit,
Sed meliora bonis, melioribus optima iungens
Turrem uirtutum, qua scanderet ardua caeli,
Feruens fundauit, feruentior aedificauit,
Quod bene uos rexit, dum se pro tempore flexit,
Urgens et pungens et mitibus aspera iungens,
Quod mandata Dei seruauit spe requiei,
Quo pro seruatis sua sors est iuncta beatis —
Hoc totum legimus, quod scilicet utile scimus,
Hoc et laudamus et dignum laude probamus.
Nam bene laudatur, quod qui legit, aedificatur.
Nam quorsum tendit uel, quaeso, quid utile pendit,
Quod Febrius mensis fuit huic q . . . . . fer ensis,

---

11 fals funde falaria talpe. 12 omnipoto$^{e}$ntis. 13 lacrime. 14 aut, *corr.* at.

CIII. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 28*$^{b}$. *In titulo:* REP̃HENSIO.

V. 3 obtima. 4 celi. 5 edificauit. 7 Vngens. 12 edificatur. 14 men$^{s}$tis fuit huic q . . . fer ensis] *Verba misere putredine deleta ad diem natalem Iohannis pertinuisse uidentur.*

Quod tunc exiuit, cum pisces Phoebus adiuit?
Addere sic posses, quaecumque superflua nosses,
Cum caelum sursum, cum staret terra deorsum,
Cum Ligeris flueret, cum uentis unda tumeret,
Cum pisces narent, cum passeruli uoluptarent,
Cum mulier neret, cum paruula filia fleret.
Sic fiat calamus stans omnis in arbore ramus,
Fiat et incaustum, quod suggerit omnibus haustum,
Sic, pro! membrana sint omnia corpora plena,
Viui uel functi si scribant talia cuncti!
Viuos uel functos lassabunt talia cunctos!

---

## CIV.

## DISSVASIO CONCVBITVS IN VNO TANTVM SEXV.

Daemonis inuentum scelerum sunt milia centum.
In quibus hunc mundum trahit ad poenale profundum,
Quo qui clauduntur, nequeundo mori moriuntur:
Vellent quippe mori, quia par mors nulla dolori,

---

15 spisces phebus . . . . uit] adiuit *suppleri.* 17 celum. 21 Si fiat calamis ar^b^more ramis. 22 austum. 23 Si per membrana plana. *In margine hi versus additi sunt:*

Si bonus ista legit, gaudet, quia, qui legit, egit,
Si malus, inde dolet, qui sit malus et fore nollet,
Quod uero restat, lectori tedia praestat
Et peregrinatur nec, qui legit, edificatur.

*Pertinent hi versus haud dubie ad hoc carmen inserendique sunt post versum 12; versu 2 fort. leg.:* quia sit malus et fere nollet; *v. 1* quae legit.

CIV. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 29*[a].

V. Demonis 2 penale. 3 neqeundo.

Quo miser ille furit, quem flamma perennis adurit:
Frons, oculi, nares, ceruix, locus auricularis,
Os, digiti, mammae fiunt ibi pabula flammae,
Dorsa, latus, uenter flagrant indeficienter
Nec frigent coxae nec mentula conscia noxae.
O quam fit tristis, qui traditur esca colubris!
Quin uim foetoris uix sustinet omnibus horis,
Saeui tortoris qui tunditur undique loris.
Sed licet inmitis sit in omnibus ultio Ditis,
Est tamen ipsorum distantia suppliciorum,
Quae sic pensantur, ut crimina perpetiantur,
Poenas maiores maiora, minora minores.
Ergo concubitus, quem sexus perficit unus,
Culpa minor nulla punitur non minus ulla.
Unde tamen poenas sceleri non laxet habenas.
Qui non laxauit, retrahat, qui foeda patrauit.
O scelus foedum! quasi si caper appetat hoedum,
Cum capra non desit ....... dolor orbis adhaesit.
Ut minus est nullo, punitur non minus ullo.

---

## CV.

Me miserum, quid agam? Porto sub pectore plagam,
Plagam peccati foetentis et inueterati,
Tamquam si portem sub eodem pectore mortem.

---

6 naris. 7 Os igitur mamme flamme. 8 fragrant. 9 coxe noxe. 10 fetoris. 11 Seni. 12 ulcio ditis. 14 perpeciantur. 19 Inde, *corr.* Unde spenas abenas] *Versus corruptus est.*

CV. *Cod. Bern. 702 s. XI—XII f. 29*[b]*, qui v.* 1—*30 exhibet* (A); *cod. Bern. 710 s. XII f. 63*[a]*, in quo et v. 31—48 leguntur* (B); *cod. Bern. 434 s. XV f. 26*[a] (C). *Titulus in omnibus deest.*

V. 2 fetentis ABC. 3 tanquam A sub ipso pectore C.

Quam quotiens laui, quotiens emplastra ligaui,
A corruptela totiens est uicta medela.
Mille ligaturas admoui nil ualituras:
Semper rupta cutis, semper uia nulla salutis.
Hinc totis horis est mens mea plena timoris.
Nam formidat ita subito decedere uita
Et flammas horret, quibus ultio crimina torret,
Flammas aeternas infernalesque cauernas.
Cum tamen haec meditor, frustra consurgere nitor:
Haerens quippe luto prae consuetudine nuto.
In tot et in tantis uiolaui iussa Tonantis,
Quot prope despero meliorari, quia sero.
Sed quamuis sero, tamen adiutoria quaero.
Filius est irae, qui uult impune perire.
Ast impune perit, qui non sibi congrua quaerit.
Ergo licet sero, tamen adiutoria quaero,
Non humana quidem: nam sunt mihi cognita pridem.
Sola diuina saluandus sum medicina.

---

4 Quam] Nam B quociens, *bis* A tociens laui C amplustra C ligaui] *Secuntur in* C *haec:* Cetera pretereunt despice que pereunt. Omnia pretereunt preter amare deum. *v. 5 deest in* B tociens AC est *supra lin.* A uicta] rupta C. 7 cuptis A uis nulla C. 8 Sic totis C In totis B mea mens est C. *v. 9 deest in* B formitat, *corr.* A subita C. *v. 10. 11 ordine inverso habet* C sed flammas C ulcio AB. 11 eternas C cauernas] cathenas C. *Deest hic versus in* B. 12 hec A hoc B. 13 herens AB horrens C pre C nuto BC mitto A. *v. 14. 15 desunt in* B quod prope A qui prope despero sero melioraque sero C. 16 semper adiutoria quero C quaero] *sequitur v. 20 in* B. 17 ire ABC impune] sine fine C. 18 Ast impune A at impune B et sine fine C querit C. *v. 19 post 23 legitur in* C, *deest in* B, *cuius v. 20 ante v. 17 locatus est, cum in* C *desit.*

Ad te subspiro, caeli non subdite gyro,
Summe sacerdotum, tibi profero debile uotum.
Dextera saluatrix, fac, fiat plaga cicatrix,
Nec renouet sulcum, sicut solet ulcus, hiulcum.
Christe, Dei uerbum qui despicis esse superbum,
Exaltas humiles, tollis de puluere uiles,
Plasmator rerum, lumen de lumine uerum,
Huc adhibeto manus, ut fecit Samaritanus!
Ablue diuino saniem cum sanguine uino,
Atque rediuiuo profundito corpus oliuo,
Ut uino lotum sanetur et unguine fotum.
O maior caelo, tibi, quod dolet, omne reuelo.
Culpas agnosco, laxari debita posco.
Spernere me noli, quia peccaui tibi soli.
Nec me trade neci, quia coram te mala feci.
Mundi Saluator nostraeque salutis amator,
Per cuius nutum replet facundia mutum,
Ex oculis cordis mihi tolle, quod est ibi sordis
Et linguam mutam fac ad bona uerba solutam,
Languida qui sanas, caua reples, aspera planas,
Rectificas tortum, mortem conuertis ad ortum.
His aliisque malis pleno mihi sis uenialis.
Virgo, parens Christi, placa mihi, quem genuisti.
Audi, care Deo, qui natus es ex Zebedaeo.
Exora pro me, Petre, nobilis incola Romae,
Et tu, Paule sacer, uir spiritualis et acer
Omnes electi dominum mihi cogite flecti.

---

*v. 22 deest in* B suspiro C celi AC non$^{qui}$ subdite A giro AC. 23 totum A. 24 fac fiat plaga cicatrix A fac hereat ista cicatrix B fac ut habeat ista cicatrix C. *v. 25 deest in* C renouet] remoue A tiulcum A. 26 esse] omne BC. 29 adibeto A. 30 semen C. 33 celo B. 45 zebedeo, *in marg.* Iohannes B. 46 rome B.

## CVI.

Virginitas flos est et uirginis aurea dos est.
Concubitus faex est, merces sua pessima nex est.
Ebrietas fax est, lymphae potatio pax est.
Ira leo trux est, patientia praeuia lux est.
Liuor edax crux est et ad impia Tartara dux est.
Vera fides nix est, fraus deceptatio pix est.
Mens humilis thus est, inflata superbia pus est.

---

## CVII.

Quaero deum testem, circumdederam mihi uestem,
Ut solet in festis uestiri candida uestis.
Vera quidem prodam; lectum pro codice quodam,
In quo dormire soleo, sic iuuit adire.
Cur morer in nugis? Erat haec meditatio iugis,
Quod non complessem placitam mihi rem, nihil essem.
O leuitas animae titubans ad inania, si me
Mors cita punisset, neque sic animum tenuisset!
Nam quotiens mea mens aliquid cupit, ardet, ut amens,
Et quasi stulta furit tunc, dum miserum cor adurit.

---

CVI. *Cod. Bern. 710 s. XII f.* $63^{b}$ (B) *post carmen praecedens; praeterea cod. Bern. 48 s. IX—X f.* $1^{a}$, *sed omisso v. 6 hoc ordine: 1. 2. 3. 7. 5. 4* (D); *nec non versus tres priores leguntur in cod. Bern. 704 s. XII f.* $10^{b}$ *post proverbia Senecae* (E).

V. 2 fex BDE et merces D. 3 limphe BDE. 4 paciencia D.

CVII. *Cod. Bern. 568 s. XII f.* $7^{a}$.

V. 1 deum *in ras* solet] *supplevi, quod erasum erat.* 6 nichil. 7 anime.

Dulcius est melle, complere meum mihi uelle.
Ingeniaui rem, pro codice qualiter irem.
Deposita pigrum fuit alba sumere nigrum:
Venit et hoc oneri, rem pro nihilo remaneri.
Hoc ego de facto dum mecum cogito, tracto,
Ad meditata dolus uenit et placet ilico solus.
Tutum quaero locum, super albam uestio frocum
Atque caput pelli ueteris summitto capelli.
Taliter indutus lectum peto, non bene tutus.
Non eo secure, penetrant mea pectora curae.
Haut subeunt plures scelerum sub tempore fures.
Ora, caput, lumen rego dirigo: sumo uolumen.
Saepius a lecto faciem post terga reflecto.
O deus, o pietas, fuit hactenus ordo uel aetas
Casibus humanis, qui non nimis esset inanis?
Non potuit uere laqueos animosa cauere
Culpa mei miseri: uideor, cum nolo uideri.
Alter erim frater (quem spiritus atterat ater
Et trahat ad luctus!) ueniens a daemone ductus
Id notat idque uidet, mihi fit ferus et sibi ridet.
Rem scelus esse putat, opus hoc in crimine mutat.
Quod satis est, peius facies cadit et color eius,
Meque minis arcet: scio iam, quod non mihi parcet.
Terreor et dire crucior, festino redire,
Reicio uestem, uoco nec socium neque testem.
Proh dolor! umbrosum mihi penitus et tenebrosum
Perstitit et mansit, quod ea de luce remansit.
Non bene tranquilla neque lucida lux fuit illa.
Lux ea plena metu, sine lumine, non sine fletu.
Lux sine luce Dei fuit illius illa diei.

---

V. 14 nichilo. 17 quero. 20 cure. 23 sepius. 24 etas. 29 demone. 32 eius *in ras.*

Orbis in hac rebus non luceat, a! modo Phoebus!
Duco diem talem, sed ea magis exitialem,
Plusque feram menti, fero poenam nocte sequenti.
Nox fuit haec una sine sideribus, sine luna,
Longa uel insomnis nox illa superfuit omnis
Qua mihi transacta fuit altera mors mihi facta.
Lucifer exoritur, mea mens grauiore feritur
Supplicio; molem fero sideris, horreo solem.
Nec mora: fit sonitus; est sicut in ordine ritus,
Proximat, ecce, malis sententia iudicialis.
Surgimus absque mora. Quid plura? Superuenit hora,
Quam rea mens animusque timet, et in aede uenimus,
Res ubi sunt durae, sine iudicio, sine iure,
Sunt ubi mille metus. Praeit abbas, postea coetus.
Ingredimur theatrum, legitur sacra regula primum
A patre praedicto; Benedicite denique dicto
Multi sermones subeunt, nullae rationes.
Plurima de genere non curant uerba tenere.
Quaestio de rebus fit acutior et speciebus,
Quique minus didicit, magis instat, plus ibi dicit.
Haec ita dum tractant, aliquos ibi uerbere mactant,
In medio quorum faex sordida, faex monachorum
Nota studet fieri de me, quae uiderat heri.
Omnia conuentus audit ridetque iuuentus.
Frendet iniquorum strepitus super haec aliquorum,
Et uelut in rixa dissensio uertitur ipsa.
Alludunt iuuenes, quia sunt ad ludicra lenes,
Sed periniqua senum fluit, ut solet, ora uenenum.
«O res letalis! Nunquam fuit actio talis!

---

V. 41 phebus. 42 exicialem. 49 est *in ras.* 52 ede. 54 cetus. 55 regula *in ras.* 57 nulle. 59 questio. 62 fex, *bis.*

Hactenus a quoquam commissa quis haec feret? O quam
Est graue, quam nefas!» Aiunt quoque denuo: «ne fas
Id fore credatur, grauiter furor ille luatur.»
Talia cum dicit, aliam pars impia uicit.
Iudicis ante thronum uenio, caput erigo pronum,
Rem reus agnosco neque tum ueniam prece posco.
Cur peterem merci? Nec in hoc mihi forte peperci,
Quatinus hac de re ueniam dignarer habere.
Cur, quibus est nulla miseratio, quaeritur ulla?
Quaeritur incassum. Mihi propter id impius assum.
Saeua sub his annis regnabat in aede tyrannis:
Nullus honoris amor, ibi fraus, ibi lis, ibi clamor,
Asperitas ingens, onus intolerabile, fingens,
Esse boni formam resecare superflua normam,
Quod uelit et grauitas cohibere sub ordine uitas.
Sto miser ante crucem cruciandus et odio lucem
Cernere. Quid faceret, cui non sua uita placeret?
Corde tamen casto coram simul omnibus asto
Anteque Praelatum, stetit ut Deus ante Pilatum.
Qui grauiora patrant, me comminus undique latrant.
Scit Deus hoc magnus, quod, ut ante lupum manet agnus,
Sic ego perstabam, sic coram iudice stabam.
Iudicium iudex tunc denique protulit, ut lex.
Dum memoror poenae, poenam renouo mihi paene.
Cor dolet ac dorsum, quotiens nunc usque memor sum.
A patre lex prodit, quam pectus et horret et odit.

---

V. 71 Est graue] quam *addidi* nephas. 74 tronum. 78 queritur, *bis*. 80 seua sub iis ede. 81 fraus] frax. 87 simul —asto *in ras*. 92 iudicium, um *in ras* ut lex] u dex. 93 penæ penam pæne. 94 ac *supra lineam*.

Ut cito nudarer pannisque meis spoliarer.
Dura, uelim nolim, fit iussio: nam Deus olim
Iussit obedire damnatum iudicis irae.
Haereo nudus humi, de me grauit ultio sumi
Incipit et caedor paeneque miser misere edor.
Deficiunt ferme duo brachia firma super me.
Quid loquor aut quid ago? Neque crux neque iuuit [imago.
De cruce, qua coram grauiter cruciabar ad horam,
(Quis non miretur?) nullus misero miseretur.
Me iacio terrae, nequeo cum uerbera ferre,
Tortus et exanguis, quia profluit undique sanguis.
Spiritus exisset, si longior ira fuisset.
Nec mihi prodessem magis, ast ibi mortuus essem.
Sed cruor ut manat, dominus, qui uulnera sanat,
Carnifices tangit, quibus impia robora frangit.
Sic igitur laesum, sic me nimis et male caesum,
Qui nec erant nec erunt mihi fratres, deseruerunt.

## CVIII.

Post dubiam,
Post nugatoriam
Fortunae gloriam,
Post opes Siculas
Conuertor anxius,
Frequentius
In uoces querulas.

V. 99 hereo. 100 cedor peneque misere dor. 105 terre. 111 lesum cesum.

CVIII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 8*[a]. *Titulus fere totus bibliopegae incuria resectus est; sed:* ad honorem augusti *etiam legi videtur.*

Sophistico
Fortunae lubrico
Collisus claudico,
Quae dum se prosperat,
Vincit improuidum,
Quem rigidum
Tristis inuenerat.

Cum inermis et manca fuerit,
Argumenta nocendi comperit,
Blanditiis
Suis me, deliciis
Inescauit miserum
Grauius in posterum,
Incauto nocitura,
Blanda turbans asperis
Et prosperis
Immiscendo dura.

Male uertit fatalis alea,
Quod ad reges de patris palea
Me transtulit:
Quicquid gratis contulit,
Repetit cum fenore,
Soluo cum dedecore
Mutuatos census,
Fisque casus grauior,
Quo celsior
Fuerat ascensus.

---

V. 7 q̃rulas. 17 blandiciis. 22 asperis *supra lineam.* 25 uendit.

Hanc uitam mori censeo
Nec nisi mori uoueo,
Cum tota die moriar.
Ab hac sorte,
Quauis morte
Feliciter eripiar,
Si dolore
Breuiore
Dolorem hunc egrediar.

Sortis aduersae pelago,
Portum indulge naufrago,
Regum ducumque gloria,
Rex insignis,
Digna dignis
Conferens suffragia,
Cui fauore
Proniore
Summitti uolunt omnia.

Tibi seruit Occidens
Duobusque praesidens
Trabeatus thronis.
Sceptris addis Angliae
Titulos Britanniae,
Successor Salomonis.
Gesta reformas Caesaris,
Naturae decus unicum,
Frenum imponens barbaris
Armoricum.

---

V. 59 cesaris. 61 barbaris *supra lineam.*

Regnum quaerens tertium
Iuniorem filium
Hiberniae praeponis,
Subdens uni Latium,
Ut sic terror omnium
Sint catuli leonis.
In euidenti uideo,
Quod inuolute dicitur,
Pollex alternus oleo
Rotabitur.

Gloriosa prole
Tot illustrans populos,
Pariter cum sole
Tunc laudis titulos
Aut potius
Effusius
Extendis.
Virtus, quae sese perhibet,
Infra se famam cohibet.
Factis enim omnia
Praeconia
Transcendis.

Poetarum linguis
Tua laus non supplicat,
Actibus extinguis,
Quicquid mali fabricat
Deus aemulus
Et stimulus
Liuoris.

V. 63 tercium. 65 ibernie. 66 subdes lacium. 89 emulus.

Voces non timens impias,
Regale decus amplias,
Plus honori conferens,
Quam referens
Honoris.

---

## CIX.

Nec mare flumini
Nec lumini
Sol supplicat,
Dum explicat
Solitum splendorem.
Virtute niteris
Nec sequeris
Exterius
Alterius
Tituli fauorem.

Nobilitas
Per laudes debitas
Expromitur,
Dum sese loquitur.
Nam mentes inclitas
Absconditas
Lux exerit
Et aperit
Interna.
Nec in monte ciuitas

---

CIX. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 8*[a]. *Nullus adest titulus.* V. 4 explicant, *corr.*

Absconditur
Nec tegitur
Sub modio lucerna.

Eximio
Virtutum radio
Prae ceteris
In modum sideris
Fulges in medio
Consilio,
Maturior
Et sanior,
Carnotis.
Iuuenili senio
Reprimeris
Nec sequeris
Legem iuuentutis.

Caro praenobilis,
Ancilla spiritus,
Naturae fragilis
Oblita penitus,
Spirat diuinitus.
Statum ad angelicum
Vitae reformas lubricum,
Titulus pontificum,
Publicum
Exemplar iudicum,
Mundi decus unicum.

Carnoti, gloria,
Lucerna Senonum,

V. 27 syderis. 32 canutis. 43 uite.

Tu lege praeuia
Statera canonum
Libras iudicia,
Promptus in examine
Iudicialis trutinae
Dignitatis geminae
Culmine
Mixto fulges numine,
Homo, sed plus homine.

---

CX.

## DE NATIVITATE DOMINI.

Semper ab aeterno nascens ex tempore nasci
Sustinet humana conditione Deus.
Virgineumque uterum uirtus sacra patris obumbrat,
Qua uerbum fieret conciliante caro.
Conformi suboles patrem matremque figura
Exprimit et speciem reddit utrique suam.
Sic eius species speciem est imitata paternam,
Ut sit eo uiso uisus et ipse pater.
Virgineoque sibi fabricans de corpore corpus
Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet una duas species persona, Deusque
Factus homo proprium seruat utrique genus.
Seruat enim propriam naturae simplicitatem:
Hic in carne Deus, cum deitate caro.

---

V. 54 trutine. 55 gemine.
CX. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 184*ª.
V. 1 eterno. 5 soboles. 13 nature.

Non conmiscentur: nec enim confusa resoluit
Vel carnem deitas uel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta deitatis gloria carne
Nec maiestatem carnea uela grauant.
Virgineaque fide ueterem purgante reatum
Numinis aduentu est sanctificata caro.
Credit et exhibuit mundam deuotio matrem
Magnificatque deum magnificata Deo.
Virginis integritas saluo fecunda pudore
Concipit, atque uirum parturit absque uiro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
Absque uiro genitus, editus absque uia.
Ergo alterna nouum foedus commercia miscent
Et uetus in pacem uertitur ira nouam.
Humanis siquidem blando diuina fauore
Occurrunt stabili conciliata fide.
Seruus adoptatur, redit exul, carcere clausus
Exit et eiecto porta negata patet.

---

CXI.

## AD HENRICVM WINTON. EPISCOPVM.

Quod per multiplices dispensat gratia formas,
Hoc in te totum contulit illa simul.
Contulit illa simul, quicquid uirtutis habere
Humanum corpus mensque moderna potest.
Non aliud corpus hac dignum mente, nec ista
Mens alio fuerat corpore digna tegi.

---

V. 17 asumpta. 27 fedus.

CXI. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 184*$^b$. *In titulo:* wintoñ.

Sic animus membris, animo se membra coaptant,
Ut nulla sese disparilitate grauent.
Namque in regali mens regia corpore regnat,
Magnanimumque decent fortia membra uirum.
Compositi mores habitum faciemque uenustant
Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos et acuti luminis ignit
Excellens sensus ingeniique uigor.
Informat mentem ratio, facundia linguam
Fecundamque probat riuulus uber aquam.
Fulget rhetorico celebris sententia cultu,
Allicit haec animos, auribus ille placet.
Res, pretium uerbis, rebus dant uerba decorem:
Nescio, plus placeas proficiasue magis.

---

## CXII.

## DE INNOVATIONE VERNALI.

Quicquid hiems tamquam ueteri deforme senecta
Absque decore diu fecerat esse suo,
Ver nouat atque nouo compubescentia flore
Imperat ad teneros cuncta redire dies.
Rupta uidebantur antiqui foedera nexus
Conuulsusque odiis cedere sanctus amor.
Visa elementorum communio sacra reuelli
Et fetus eadem uelle orare suos,

V. 13 sullimes. 15 lingam. 17 rethorico. 19 p̃cium.

CXII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 185*[a]. *In titulo:* de induatione, *sed custos tituli in margine adpositus rerum habet.*

V. 1 hiemps tanquam. 5 federa.

In ueteremque pari conuersa furore tumultum
Inuisam rebus accelerare necem.
Autumnus senior gelide post credita spectans
Semina crediderat fenus obisse suum.
Nunc ea secretus mouet ignis et abdita uirtus
Naturae sancti conscia consilii,
Seminibusque adhibens causas et semina causis
Ad caeleste suum docta figurat opus.
Sol oriens hilari perlucidus ore redemptis
Ignibus astrictam frigore soluit humum,
Aeriamque nouo faciem splendore serenans
Purgatum exhilarat lenior aura diem.
Undique sollicitat iuuenem lasciuia mundum
Fecundosque aperit prodiga terra sinus.
Gramine uestitur humus, arbor frondibus offert
Gemmam uitis, ager lilia, spina rosam.
Alternant et opus et opes elementa uicissim
Seque fauore pari materiaque iuuant.
Ergo uetustatem mundi natura reformans
Auspiciis fertur in sua nota suis.
Namque uoluntatem comitata potentia semper
Non patitur frustra quid uoluisse deam.
Assurgit laetus operanti mundus et audax
In faciem pueri cogitat ire senex,
Nec reditum metuit ueteris tristisque figurae,
Prorsus obisse hiemem, non abiisse putans,
Elatusque nouae successu prosperitatis
Ad nutum dictat saecla futura suum.

---

V. 11 autumpnus. 14 nature. 16 celeste. 31 letus. 33 figure. 34 hyemem. 35 noue. 36 ad notum secla.

Ergo sibi quarta breuiandos destinat annos,
Et quibus exultent omnia temporibus,
Ne soluatur aquis uel frigore torpeat annus
Perpetuaque fluant tempora temperie.

---

CXIII.

## DE ALTERNA TEMPORIS SVCCESSIONE.

Tempora circuitu ueteri reuoluta uicissim
Effectus uariant restituuntque suos.
Mater Hiems patris Autumni semina seruat
Vere nouo stabili restituenda fide.
Ver mundi sterilis gelida praeeunte senecta
Soluitur in fetus luxuriatque nouos,
Productosque fouens blando natura fauore
Aestiuo in formam prouehit auspicio.
Autumni demum prouentibus omnia cedunt,
Cui totas reliquus congerit annus opes.
Quod concepit hiems, peperit uer, nutriit aestas:
Hic metit atque suo conficit arbitrio.
Sola reseruantur conceptibus apta futuris
Semina dispositas nata nouare uices.
Sic abit, ut redeat; redit, ut retranseat annus,
Praecipitem reuocans praecipitansque rotam.
Sic rata perpetuos agit alternatio menses
Et ueteres renouat inueteratque nouos.
Hunc diuina frequens ludit sapientia ludum
Et uariata mouens inuariata manet.

CXIII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 185*[b].

V. 1 tempora, m *eras.* 3 hyemps, *sic semper* autumpni, *sic semper.* 8 estiuo. 16 precipitem precipitans.

## CXIV.

# ITEM IDEM AD POETAM MENDICVM LAVDEM ET MVNVS VERSIBVS POSTVLANTEM.

Versus mendicos et Musae pauperis ausum
  Compositasque odi, Caeciliane, preces.
Importuna graues exactio suscipit iras,
  Quae geminae stimulos impietatis habet.
Qui petit, hoc ipso statim incipit esse molestus,
  Si petat adiuncta qualibet arte? Magis.
Artis enim studiis formata precatio quandam
  Contrahit ex fraudis suspitione notam
Et permixta dolis exactio laedit utroque:
  Fallit et emungit insidiosa rapax.
Inuisos igitur geminata molestia uersus
  Reddit nilque sui metra fauoris habent.
Si uis ergo suum Musae seruare fauorem,
  Gratuitis aures mulceat alloquiis.
Importunus enim est, quisquis sibi postulat aurem
  Laudibus impleri muneribusque manum.

---

CXIV. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 186*[a].

V. 2 ceciliane. 4 que gemine. 7 p̃catio. 8 suspicione. 9 ledit. 13 muse.

CXV.

## VERSVS EIVSDEM AD SCAEVAM DE ANV NON REFORMANDA.

Scaeua senescentis dominae marcere decorem
Et teneros queritur consenuisse dies.
Ergo peregrinas explorat sedulus artes
Et species multo comparat aere nouas.
Nilque redempturo faciem medicamine uexans
Deplorat medicas nil potuisse manus.
Non hac, Scaeua, potes naturam fallere cura:
Ars deformatam nulla reformat anum.
Si uis in lucem faciem reuocare sepultam
Et speciem dominae reddere, tolle dies,
Tolle dies: annosa creant dispendia rugas
Multiplicatque cutem multiplicata dies.

---

CXVI.

## ITEM AD IVVENEM ET PVELLAM AFFECTVOSIVS SE INVICEM INTVENTES.

Occurrunt blando sibi lumina uestra fauore
Et uoto arrident intima corda pari.

---

CXV. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 186*[b]. *In titulo (et semper)* sceuam.

V. 3 arces. 4 ere.

CXVI. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 186*[b].

Alterno facies sibi dant responsa rubore
  Et tener affectum prodit utrimque pudor.
Mutua discurrens ultro citroque uoluntas
  Lasciuum mentes foedus inire facit.
Alterius radiis oculorum flamma refulget
  Perplexusque oculos foederat intuitus.
Ipsae animae proprias quasi permutasse uidentur
  Sedes inque nouis degere corporibus.
Complexus tacitos animorum gratia nectit
  Corporeisque parat nexibus auspicium.
Procedet felix duplicato copula nexu
  Concurrentque suis corpora spiritibus.
Utilis optatos dabit expectatio fructus
  Et laetos parient anxia uota dies.

---

CXVII.

## ITEM AD LASCIVOS SODALES.

Mens mea uirtutum studiis a tempore primo
  Institit, infames docta cauere uias.
Sed quo uita mihi securior esset apud nos,
  Cautus honestatis dissimulator eram.
Optabam credi, similis non esse: fauorem
  Non mihi uera dabat, sed simulata Venus.
Seruiuit nobis nutu sollertia solo
  Perstringens equidem, sed meliore dolo.

---

V. 4 utrinque. 6 fedus. 8 federat. 9 ipse anime.
CXVII. *Cod. Bern. 586 s. XII f. 187*[a].
V. 1 mea *m. II, fuit* me.

Ast ubi non potuit perfectio dissimulari
Seque suis uirtus prodidit indiciis,
Inuidiae stimulis angi, stillare ueneno
In populos coepit lingua maligna suo.
Confiteor, placuisse pudet, quoniam placuisse
Turpibus, aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clare rupisse silentia, non me
Defunctis tacito consepelisse metu.
Seruit enim sceleri uirtus taciturna reosque
Absoluit, si non iudicat esse reos.
Pars uitii est, uitium quouis palpare fauore.
Nam palpando foues atque fouendo facis.
Praestat opem tacitam uiresque ministrat agendi,
Qui tacet et poterat obuius isse malo.
Nam uirtus uitii nec amat nec sustinet umbram
Nec luci tenebras contrahit ipsa suae.

---

## CXVIII.

# EPITAPHIVM REGIS HENRICI PRIMI.

Henrici, cuius celebrat uox publica nomen,
Hoc pro parte iacent membra sepulta loco.
Quem neque uiuentem capiebat terra nec unus
Defunctum potuit consepelire locus.

---

V. 11 inuidie 12 cepit. 18 iudicat] *utrum hoc an* indicat *scriptum sit, non liquet, sed praestat* iudicat *quippe sensui aptius.* 19 uicii uicium. 21 prestat. 23 uicii. 24 sue.

CXVIII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 187ᵇ. Margini manu Brissonii possessoris s. XVI, haec ascripta sunt:* In lib. M (= manuscripto) Super sepulchrum Regis Henrici in quo cerebrum et cor eius sepulta sunt.

In tria partitus sua iura quibusque resignat
Partibus, illustrans sic tria regna tribus:
Spiritui caelum; cordi cerebroque dicata est
Neustria, quae dederat; Anglia corpus habet.
Hinc partes animumque trahens, sed forte apud illos
Editus, hic gladium, sceptra gerebat ibi.
Quem decedentem cum nox extrema Nouembris
Soluisset, secuit prima Decembris eum.

## CXIX.

## QVOMODO PAVPERI VEL DIVITI SIT DONANDVM.

Res simplex triplici uitio damnata datoris
Expressit mentem: rupta, pusilla, uetus.
Si quis forte aliquid largiri curat egeno,
Ad paupertatis respiciatur onus.
Non elephantus ei dandus, non Parthica tigris,
Non quicquam, quod eum cogat egere magis.
Non uolo, quod faciat de paupere pauperiorem:
Id uolo, quod potius utilitate probem.
Quid mihi sit munus? Honor illustrauit inanis,
Cum meus extincto frigeat igne focus?
Pane cibandus inops, non illudendus honore est:
Frigida de uacuo gratia uentre uenit.
Contra diuitibus munus, quod quilibet offert,
Formet honore magis, utilitate minus.

V. 7 celum.

CXIX. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 187b.*

V. 1 uicio dampnata. 2 rupta] *an* rapta? 9 honor munus, *cum inversionis nota.*

Illustret, non subueniat, ne quando probetur
Munus, quod tantum, sed quia tale fuit.
Cumque datis insit animi donantis imago,
Nec dator affectum dissimulare queat,
Id des, quod semper uideare dedisse libenter,
Nec parcam prodant dona recisa manum.

---

CXX.

## EPITAPHIVM MATHILDIS IMPERATRICIS.

Regia progenies, stirps regia, Caesaris uxor
Hic est magna breui clausa Mathilda loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
Excessit mulier, nil mulieris habens
Septembris decima regno post regna recepto
Creditur aeternum continuasse diem.

---

CXXI.

## ITEM DE EADEM.

Regis mater erat et regibus orta Mathildis
Extuleratque toro nobiliore genus.
Sed magis egregia uirtutum luce coruscans
Fortunam generis uicerat atque tori.
Septembris decimo sub prima transiit hora
De nostra ad uerum nocte reuecta diem.

---

CXX. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 188a. Titulo Brissonius (ex suo codice) addidit:* Regis Henrici filiae et alterius Henrici matris. *In titulo:* Matildis.

V. 1 cesaris. 2 matilda. 6 eternum.

CXXI. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 188a carmine cum priore coniuncto: titulum Brissonius addidit.*

V. 2 thoro. 3 choruscans. 4 thori.

CXXII.

## SVB CRVCE EX PERSONA CRVCIFIXI.

Sic cruce tollo crucem, moriens de morte triumpho
  Viuificans hominem mortificatus homo.
Gratia mandato praescribit, forma figurae,
  Res signo, morti uita, corona iugo.

---

CXXIII.

## VERSVS LANDRICI DE ANSCHITILLO.

Porrum portaui monacho, quem semper amaui,
De Constantino: porrum comedit sine uino.
Et timeo multum, ne morte mala moriatur,
Cuius cotidie uenter porris satiatur.
Porrus naturae calidae cognoscitur esse.
Ergo, qui comedit, nimis est feruere necesse.
Porrus natura uentum generare probatur.
Nec uolo, quod monachus pro uentoso teneatur.
Irasci noli, solus scribam tibi soli:
  Te colo, digne coli, nam sine labe doli.

---

CXXII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 188b scriptura continuata. Titulum ex Brissonii adnotatione recepi.*

V. 3 prescribit figure.

CXXIII. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 188b. Brissonius e suo codice haec in margine addidit:* Sunt et uersus ad quendam Poetam. Item duo Epitaphia, unum Algari Constantiensis episcopi, alterum Hugonis Rothomagensis Archiepiscopi.

V. 5 nature calide.

## CXXIV.

Cuius totus eram, cuius me cura regebat,
Qui pro uelle suo prorsus mea uota mouebat,
Abrumpens foedus, quod amoris erat, uiolauit.
Iniuriam passus taceo, si forte rediret:
Qui si diligeret, non sic nec talis abiret.

## CXXV.

Longa salus, tranquilla quies, reuerenda potestas
  A patruo numquam sint aliena meo;
Qui licet offensus totiens benefacta rependens
  Numquam desistit patruus esse mihi.
Set, nisi me fallat dudum firmata uoluntas,
  Illius arbitrio dicar et ipse nepos.
Cum leuitate sua puerilis transiit aetas,
  Nil praeter studium mens mea dulce putat.
Qui me peruersum raro permisit egere,
  Correcto saltem non neget ille cibum.

---

CXXIV. *Cod. Bern. 568 s. XII f. 17*[b].

V. 3 arrumpens fedus. 5 Qui sic.

CXXV. *Cod. Bern. A 90, 4 s. XII f. 4*[a].

V. 1 tranquilla. 2 ñquam. 3 tociens. 4 nunquam. 5 tentata, *suprascr.* formata. 7 etas. 8 preter.

## CXXVI.

Carmina missa grauis mihi sunt fomenta caloris:
  Totus in accenso pectore saeuit amor.
Nuper erat risus mihi missi carminis actor,
  Cum Veneris tardam saepe rogaret opem.
Spernebam Venerem, saeuosque Cupidinis arcus,
  Non expertus adhuc posse, Cupido, tuum,
Indignata Venus zelo me fixit acuto:
  Vulneris impatiens sentio, quid sit amor.
Si medicina queat tantum lenire dolorem,
  Sola potes dubiae ferre salutis opem.
Mellea uerba tuae, nisi fallant dissona, menti
  Languenti medicum te, Iuliana, dabis.
Tam dulci pretio tibi me firmabis amicum,
  Moribus, aetate, nobilitate parem.
Nos ita consimiles, ut mutuus uniat ignis,
  Elige me solum, quae mihi sola places,
Et quia nulla domus nostris conspectibus obstat,
  Aspectu recrees lumina nostra tuo.

---

## CXXVII.

Legis latores, hominum perpendite mores,
Qui meruere pati quocumque toro generati,
Si uiuant pure . . . . . . . . . .

---

CXXVI. *Cod. Bern. A 90, 4 s. XII f.* $4^{b}$.

V. 2 seuit. 4 sepe. 5 seuosque. 8 impaciens sencio. 10 dubie. 11 tue. 12 langenti. 13 tan dulci p̃cio. 14 etate. 16 $q^{e}$.

CXXVII. *Cod. Bern. 710 s. XII f.* $62^{a}$.

V. 2 thoro.

Atque modum uitae uelut aequum constabilite!
Quisque sui portet peccati pondus oportet
Nec sit damnatus patris de crimine natus.
Non nos infames ob patrum crimina clames.
Plures sic nati sunt caeli sede locati.
Non est illorum turpis generatio, quorum
Est Deus ipse pater, genuit quos Gratia mater.
Cur homo dedecorat, quos rex supremus honorat?
Cur reprobando premit, quos Christus morte redemit?
Qui sic nos mordes, prius illas corrige sordes,
Quae grauius laedunt et plus a lege recedunt?
Haec species morbi, qua mors grauis imminet orbi,
Si bene res isset, prius exstirpanda fuisset.
Fama mihi tradit, quam res hoc ordine uadit.
De minimis tractas, post tergum maxima iactas!
Si uis rite sequi, natura quod expetit aequi,
Corrige maiores culpas prius, inde minores!
Affectum talem non aestimo spiritualem.

---

## CXXVIII.

Ut te uelle puto, te diligo teque saluto.
Non ego diligo te propter tua, sed tua pro te.
Diligo sincere nec te cessabo monere,
Ne sis securus hodie uel cras moriturus.
Intra siue foris est plurima causa timoris,
Pluribus implicitus, ut uir bonus atque peritus,

---

4 uite uelut equum. 6 dapnatus. 7 patr̃. 8 celi. 11 sup̃mus. 12 p̃mit. 14 ledunt. 19 equi. 21 estimo.

CXXVIII. *Cod. Bern. 710 s. XII f. 72*[b].

Cunctis sis horis hominis memor interioris,
Grandibus assuetus et forsan culmine laetus.
Vt uir discretus uulgi subterfuge coetus
Teque memor leti uel ad horam trade quieti.
Vir bone, quid curas res uiles, res perituras,
Nil profecturas, damno quandoque futuras?
Nemo diu mansit in culmine, sed cito transit.
Est breuis atque leuis in mundo gloria quaeuis:
Qui fuit hic imus, illic erit ordine primus.
Quid lucri referet, qui mundo totus inhaeret?

---

## CXXIX.

Ẏ Θ T A ω

Has apicum typicas infirmant esse figuras
Rimantes acie mentis secreta sophiae.
Secta bipertito, quae sursum cornua tollit,
Dicitur humanae speciem portendere uitae.
Inferior ramus pueriles indicat usus.
Theoricam uitam per partem concipe dextram,
Creditur actiua signari parte sinistra.
In biuium pictus medio discrimine punctus
Aurea perpetuae designat praemia uitae
Infausta theta mors designatur amara
Unde quasi telo quodam penetratur acuto.

---

V. 8 letus. 9 cetus. 12 dampno. 16 inheret.

CXXIX. *Cod. Bern. 704 s. XII f. 29ª.*

V. 2 sophie. 3 que. 4 humane uite. 9 perpetue uite. 10 teta.

Signa crucis Christi pandit tau littera felix.
Alpha tenet rerum caput, est ω finis earum.
Qui peregrinatur, dominum prudens imitatur.
Viuit opum plenus, pro Christo qui fit egenus.

---

## CXXX.

Tres habuit natos iam quaedam femina caros;
  Istos luce breui uiuere necne mori
Vidit et inuidit, quod talia funera uidit;
  Sic dat lex fili; uiuere necne mori.
Res quod mutari nescit praesaga futuri,
  Intrat aquas uno femina cum puero.
Corporis e maculis se mundans fluminis undis
  Ad latices puerum detulit ipsa suum.
Hinc binos pueros uidit tellure relictos,
